BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
24 A
31

59 1

14-17.b.30

Digitized by Google

DIOGENES CYNICUS REDIVIVUS.

Sive

DE COMPENDIOSE PHILOSOPHANDO

Ad Scholæ ludentis exercitia olim accommodatus, nunc autem luci datus;

Authore

J. A. COMENIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELODAMI;

Apud PETRUM van den BERGE, in vico vulgò De Blaeuw-burghwal / ſub ſigno Montis Parnaſſi.
Aº. 1658.

12.24.p.3

Nobiliſsimis Juvenibus,

D. JACOBO DE GRAEF,

Summi Viri

D. D. CORNELII DE GRAEF,
Domini in *Suyd-Polsbroeck &c.*
Amſterodamenſium Con-
ſulis meritiſſimi;

ET

D. NICOLAO WITSONIO,

D. D. CORNELII JOHANNIS
WITSONII,
Conſulis itidem ampliſſimi,

Filiis,

Salutem & ſapientiam!

FLorentiſſimi Juvenes, Levidenſe offero, non ingratum tamen (ſpero) futurum vernanti genio & ingenio Veſtro munuſculum. Proprium enim huic ætati, qvâ Vos eſtis, amœnis delectari: nec invidendum, ſi nihil ſubſit inhoneſti, honeſtæ potiùs delectationi certa adſit utilitas, qvam hîc non defore experiemini. Feſtiviſſimus Philoſophorum DIOGENES, in Scholæ Theatrum productus, ſeſe Vobis ſiſtit, variis ſapientiæ leporibus Vobis delicias facturus. Spe-

ctate

ctate hunc, tanqvam ad compendioſè philoſophandum ſeu comitem facundum, ſeu ducem certum, mirúmqve artificem.

Qvem prodire dum patior, Veſtro dicatum volui Nomini: tùm ob merita in me Magnificorum Parentum Veſtrorum, tùm ut Vobis ſtudiorum addam calcar, compendioſæqve ſapientiæ (qvæ non in fucatis, aut arte contortis, verbis & opinionibus, ſed in egregiis argutisqve dictis & factis conſiſtit) attendendæ occaſionem objiciam.

Valete, & in ſtudiis Veſtris eas captate amœnitates, per qvas (etiam qvaſi aliud agendo) verâ & ſolidâ eruditione Vos inſtruatis. Scribebam 10 Junii 1658.

Proſperitatis Veſtræ

aventiſsimus

COMENIUS.

Ad

Ad Lectores.

PEtiit à me nuper vir amicus Bibliopola, *Petrus van den Berge*, ſi qvid inter mea flammis erepta ſchedia reperiretur adhuc, qvod typis deſcribi eſſet dignum, paratum ſe promovere: cùm breviculis etiam ſcriptiunculis noſtris (qvale fuit FABER FORTUNÆ, à ſe editus, *cum Regulis vitæ*) delectari nonnullos compertum habeat. Reperi ergò ſchedas luſionis cujuſdam Scholaſticæ, cùm ante annos circiter 20 Leſnenſi in Schola (meo tunc ſub regimine) Scenica etiam vigere inciperent exercitia. Qvod non inutile fuiſſe ingeniis alliciendis etiamnum ſenex factus, iſta relegens, judico. Idémqve fuiſſe aliorum judicium exinde colligo, qvòd

intra unius anni ſpatium idem hic *Diogenianus Ludus* ter fuit in illuſtrium hoſpitum, illuſtrem D. Comitem noſtrum viſitantium, & hæc ſpectare expetentium, gratiam, ad repetendum flagitatus. Sed & manuſcriptum reperio, neſcio qvomodo conſervatum, Viri ſummè eruditi, Theologiqve graviſſimi, D. Georgii Vechneri: tum nobiſcum exulantis, poſteą Francofurtum ad Theol. Profeſſionem vocati, vocationem tamen Principum Bregenſium in Sileſia (ad illuſtris Gymnaſii Rectoratum, & Eccleſiarum in Ducatu illo Superattendentiam) præferentis, judicium: qvod verbotenus apponam.

S. P. Faventiſſime D. Compater, placet mihi vehementer Tractatio DIOGENIS *inſtituta: optémqve*

qve ad eundem aut ſimilem modum deinceps repræſentari Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, Epicurum &c. *qvin & ex majoribus Diis illis præcipuos*, Alexandrum M. Craſſum, Cyrum &c. *Sanè hâc viâ, ſi ullâ aliâ, imprimi poterunt vividâ ratione adoleſcentum animis, non tantùm qvæ ad Hiſtoriam ſpectant, ſed & Apophthegmata notabiliora qvæqve: atqve ita Antiqvitas eximiè cognoſci. Non dicam de profectu, qvem in Eloqventia & Prudentia ſimul facturi ſunt. Nec ſenili auditorio & ſpectatoribus ſic aberit, qvod cum profectu eorundem minus ſit, qvàm cum voluptate ac delectatione conjunctum.*

Eſſent fortè in delineatione ſic nunc exhibita, qvæ ſtyli dictionumqvereſp ectu politurâ qvâdam perfici poſſent. Sed ea tanti nunc non facio: & ſatis fuerit iſta curari, ſi in

publicum aliqvando promere hæc libeat. Qvod velim ſucceſſu temporis omninò fieri &c.

Hæc ille, tum temporis: qvod conſilium jam tandem ſeqvuti, & exponimus publico rei tàm utilis judicatæ ſpecimen, & emendamus qvæ politiùs efferri poſſe viſum eſt. Non *Comœdias agere* (h. e. *Tempora Vitæ ſeriis debita vanis perdere: qvod impiorum eſſe, vitam ut rem ludicram habentium, novimus ex* Sap. 15. 12.) docemus, qvi Scholis exercitia id genus commendamus, ſed ut res vtiæ utiles Ingeniis qvibuscunq; blandis inſtillentur modis, ſvademus. Si qvibus conſilium ſeqvi placet, benè eſt: ſin minus, benè eſt. Valete.

PER-

PERSONÆ.

1. *Prologus.*
2. *Argumenti recitator.*
3. *Diogenes*
4. *Antiſthenes*
5. *Plato*
6. *Zeno*

} *Philoſophi.*

7. *Amphilogus*
8. *Elpidius*
9. *Hegeſias*
10. *Anonymi aliqvot*

} *Philoſophiæ ſtudioſi.*

11. *Philippus*
12. *Alexander*

} *Reges*

13. *Clitus, Philippi Conſiliarius.*
14. *Perdiccas*
15. *Parmenio*
16. *Craterus*

} *Alexandri præfecti.*

17. *Scirpalus, piratarum dux.*
18. *Harpax*
19. *Pſiletes*

} *Piratæ*

20. *Xeniades, Cives Corinthius.*
21. *Dionyſius, antea Syracuſano-*

rum

rum Rex, poſtea Corinthi pædotriba.

22. *Puer qvidam, diſcipulus ejus (cum ſociis aliqvot mutis.)*

23. *Aceſtor Medicus.*

24. *Epilogus.*

Anonymi, & κωφὰ πρόσωπα.

1. *Studioſorum & plebis turba.*
2. *Aulici Regis Philippi, & Alexandri.*
3. *Xeniadis filii duo.*

DIO-

DIOGENES CYNICUS REDIVIVUS.

PROLOGUS.

SPectatum Scholaſticos noſtros ludos qvi conveniſtis, hoſpites, ſeria an ludicra qværitis? Illa à nobis, turba puſilla, quorum adhuc meſſis in herba eſt, nondum exſpectari poſſunt: hæc verò nobis ex ephebis, aut excedentibus, aut exceſſuris paulo pòſt, deſerenda jam ſunt: quia Vita noſtra, ut ſapiens monet, non eſt res ludicra, nugis tranſmittenda, ſed præparamentis ad vitam illam qvæ excipiet hanc. Ipſa tamen præſens etiam hæc tranſigenda ſeriis eſt negotiis: qvibus & Dei illuſtretur gloria (aut certè non lædatur honor) & communis vitæ, ſocietatíſqve humanæ, qvôqvômodo promoveantur commoda. Fuimus ergò nos qvoqve, qvos hîc ſpectatis, Scholaſticum agmen, fuimus inqvam, nec adhuc ex toto eſſe

deſiimus, Pueri puerilia tractantes: ſed evadere cogitamus Viri, negotiis virilibus, quantum dabit Deus, apti. Qvô & formatores noſtri collimant, talibus nos & præceptis & exemplis imbuentes, qvalia ad nobis ſenſim Pietatis, Virtutum, Eruditioniſqve omnigenæ ſemina inſtillandum, conferre poſſe exiſtimantur. Cujus rei daturi ſumus in præſentiarum ſpecimen: Illorum qvidem prudentiæ, Noſtræ autem diligentiæ, futurum qvale qvale indicium. Nec ſerium id merè, nec ludicrum merè, erit: ſed ex utroqve temperatum. Nempe *& prodeſſe qværunt & delectare, æqvè Philoſophi ac Poëtæ.* Philoſophiæ enim ſtudioſi ſumus omnes nos, qvos videtis: ſapientiæ putate illius qvæ divinarum & humanarum rerum ſcientiam, ubi ubi ea qværenda venit, venatur. Habemus eqvidem, cur Dei miſericordiam nos Eccleſiæ Chriſtianæ cives laudemus, qvod Deus verbo ſuo de rebus ad ſalutem æternam ſpectantibus ita nos informare dignatus

tus eſt, ut qvi Oracula hæc cupidè reverentérqve pertractant, omnibus ſapientibus ſapientiores cum Davide fiant. Nihilominus tamen qvia Spiritus Domini, qvi Orbem terrarum implet, præter haſce lucidas in Eccleſia accenſas faces, per medias etiam gentiliſmi tenebras varias luminis ſui ſcintillas emicare voluit: has ubicunqve ſparſas obſervari, colligi, & ad augendum cognitionis ſcientiæque lumen adhiberi, pietas non prohibet, prudentia ſvadet, ipſa Antiqvitatis (ductu æternæ providentiæ hucuſqve conſervata) monumenta invitant. Fuerint ſanè Philoſophi gentiles in divinis tales, qvales deſcribit Apoſtolus, vani facti in ratiocinationibus ſuis: in humanis tamen, moralibus, œconomicis, politicis, plurima illorum dicta & facta pulchra ſunt, admirationéqve & imitatione digniſſima. Horum è numero *Diogenes Cynicus* fuit, Philoſophorum feſtiviſſimus, qvem vobis redivivum, ingenioſè mira patrantem, nunc in

ſcenam producemus. Sed hunc oculati ſpectare ut poſſitis omnes, etiam hiſtoriæ antea ignari, admovebit vobis perſpicilia qvi me hinc digreſſô prodibit; *Diogenis ortum, vitam, mores, inſtituta, & qvæ præterea ad meliorem ſeqventium intellectum ſpectare videntur*, breviter enarrando.

Argumentum Comœdiæ.

Diogenis nomine qvinqve fuerunt Philoſophi. Primus *Apolloniotes*, phyſicus. Secundus *Sycionius*, qvi Peloponneſiaca ſcripſit. Tertius *Stoicus*, ex Seleucia, apellatus Babylonius ob vicinitatem. Quartus *Tarſenſis*, qui de Qvæſtionibus Poëticis ſcripſit, eaſque enodavit. *Quintus hic noſter*, omnium illorum clariſſimus. Patria illi fuit *Pontus*, Aſiæ provincia, & in ea civitas *Synope*; Pater autem Iceſius menſarius, ſeu, *Collybiſta* (Geldwechſler.) Qvi cùm filium ad idem negotiationis genus adſveſaceret, & nimiâ diteſcendi aviditate

tate ordinario lucro non contentus, monetam adulterare doceret, eôque vitæ periculum ambo incurriſſent, metu perterritus Diogenes è patria profugit, Athenásqve profectus ad Antiſthenem Philoſophum ſe contulit, recipique in contubernium inſtantiſſimè petiit, donec & impetravit. Apud qvem tantum profecit, ut in Philoſophiæ profeſſione demortuo Præceptori ſuccederet. Sed qvia vitiorum publicorum publicus hoſtis, & inſectator acerrimus, fuit, eôqve ſe exoſum vulgo reddidit, nemo Athenienſium fuit, qvi Diogeni vel Scholam ædificaret (ut aliis Philoſophis ſoliti erant) vel domi ſuæ habitationem concederet. Ille igitur publicè in foro, & docuit & habitavit; domunculæ locô, in qvam ſe ab aëris injuriis reciperet, & ubi dormiret, Doliô qvodam eodem in foro ſibi erectô. Qvô ad ipſum magno qvotidie numero confluebant, cùm diſcendi gratiâ ſtudioſi, tum exagitandi cauſa plebecula petulans, & ſophiſtæ nugaces.

Qvos ille docendo, monendo, increpando, confundendo, varia ingenioſè & dixit & fecit: eô ipſô admodum celebris factus, ut ipſius videndi & audiendi gratiâ illuſtres viri, Reges & Principes, Athenas venirent. Cùm autem navigare conſtituiſſet *Æginam*, in mari à piratis captus, in *Cretam* delatus, venum expoſitus, venditusque tandem & *Corinthum* deductus fuit, *Xenadæqve* viri opulentiſſimi filiis & familiæ præfectus, tantâ cum Induſtria Præceptoris boni, Philoſophiqve ſapientis munus obibat, ut *Xeniades* eô hoſpite beatum ſe prædicaret. Apud qvem proinde reliqvum vitæ exegit, multíſqve poſt ſe relictis diſcipulis, clariſſimis tùm Philoſophis, tùm Politicis, nonagenarius ferè deceſſit, & honeſtè ſepultus eſt. Mortuum ſcribunt eôdem die qvô Alexander Magnus, annô nempe ante Chriſtum natum tercenteſimo vigeſimo tertio. Sed jam ipſummet redivivum videbitis & audietis.

Actus

Actus I. Scena I.

Diogenes.

(Proſiliat è ſipario adoleſcens imberbis, tanqvam fugitivus, circum ſpectans, & veluti trepidans: tandémqve conſiſtens loqvatur.)

Satis ne jam in ſalvo ſum? Credo neminem jam occurſurum mihi his in oris, cui plus ego qvàm ille mihi, notus ſim. Deſiſtam progredi, ne extra Græciam delatus in barbaros incidam, qvos nec intelligam ipſe, nec me illi. Qvàm benè mihi eſt, qvòd præſentiſſimam effugi mortem, atroxqve illud ſupplicium, qvod monetæ falſariis conſtitutum eſt. De Patre qvid ſit actum neſcio: conſuluit forſan & ipſe ſibi. Eheu pater, tu me imprudentem tecum huic tanto diſcrimini involviſti. Ego adoleſcentulus ad pravas iſtas cogitationes nunqvam deflexiſſem animum. Perperam verò fit, ut parentes quibus vitæ authores fuerunt, iiſdem

vitæ malæ, eámqve freqventer inſeqventis mortis malæ, authores ſint. Sed valeat pater, ubi ubi eſt: ego mihi ut proſpiciam, neceſſitas ipſa compellit. Qvid enim? unde vivam? omnium ego inops & egenus; ignotuſqve inter ignotos? Mendicandóne ſtipem qværam? Qvis juveni valido aliqvid ſine exprobratione conferet? Sed & pudebit intra memetipſum, juvenem formâ præſtantem, opibus antè florentem, deliciis adſvetum, mendicabulum fieri, ſordidatiſqve ciborum reliqviis, ſi qvi præbeantur, paſci. Qvid ergò ſi artem aliqvam, qvæ de pane lucrando ſit, amplectar? at nullam didici, nullam novi. Ad fraudes igitur & machinationes aliquas denuò me convertam? Id verò prohibeant ſuperi. Semel effugi peſtem illam: regredi non libet. Qvid ergò?

(Hîc ob ambulet tacitè, ſubindeqve reſtitet, & ſecum deliberet, tandemqve manus ſuas contemplatus dicat.)

Hi lacerti ſatis ſunt validi, laboribus quibus

quibusvis pares. Fiat, operis diurnis cuicui locandis impendatur vita: ita ætatis primæ inertiâ tranſmiſſæ luam pœnas.

(Hîc rurſum taceat, & deliberet: poſt moram in hæc erumpens verba:)

Hem verò *Diogenes*, ad mercenaria te tranſire opera? ad aſinariam retrudi vitam? Digniora qværenda ſunt.

(Rurſumqve interpoſitô ſilentiô.)

Mens mihi & ingenium *Dei* beneficiô, non deſunt: qvid ſi hæc ſapientiæ ſtudiis excolam? præſertim cùm me felix qvædam ſors ad urbem hanc tulit, *Athenas* enim, *toto orbe celeberrimum ſapientiæ emporium, in conſpectu habeo.* Qvid ſi benigna numinis providentia huc me viis illis qvas ignoravi ipſemet, egit? ut ſit unde mihi olim de infortunio gratuler meo? Eja Diogenes, imitare viros cordatos, qvi calamitoſos caſus in Virtutis occaſionem transferre ſatagunt! Ita ſit: hoc ſeqvi conſilium placet: dii me juvent. Ingrediar Athenas, & me alicui viro

ſapienti applicabo, cujus informatione converſationéque ipſe qvoqve evadam ſapiens. Sed qvid? unde ſumptus? unde menſa? unde habitatio? undé didactra? unde libri? unde veſtes, aliáque neceſſaria? Heu mihi, non ſuccedet conſilium. In me jam qvoqve implebitur illud: *Emergunt rarò qvorum virtutibus obſtat Res anguſta domi.* Rectè tamen: non dicit, *Emergunt nunqvam*, ſed *rarò*. Quid n. ſi inter rara illa exempla eſſe me dii velint? Non deſpondebo animum. Eſurire, Sitire, algere, Sudare, certum mihi eſt, modò ſapiam. Panis fruſtum oſtiatim qværam. Non negabunt hunc boni, credo, ſapientiæ ſtudioſo pauperi, qvem negarent forſan otioſo mendico, inutili terræ ponderi. Eja qvàm bonum reperi conſilium! Dii id fortunent! Jam Athenas ingrediar: non urbis amplitudinem, non ædificiorum ſplendorem, non populi pompam, & reliqva de qvibus ſæpè audivi, circumſpectaturus, ſed virum aliqvem ſapientem.

Sed

Sed ecquis hic extra portam prodit, vultu venerando ſenex? Mirum nî aliqvis Philoſophorum ſit, qvem mihi dii boni obviam mittunt! Hortum ingreditur. Secedam ad ſepem hanc, ut qvid acturus ſit videam.(ſecedet ergò.)

Act. I. Scena II. Antiſthenes, Diogenes.

Ant.) Ita eſt profectò, omnis humanæ felicitatis mater Sapientia eſt, à cujus amore *Philoſophia* nomen invenit: qvâ nihil à diis immortalibus uberius, nihil floridius, nihil præſtabilius, generi humano datum eſt.

Diog.) O me felicem, qvi in ſapientem hunc hominem, & aliis ad ſapientiam ut video ducem, incidi!

Ant.) Sapientia n. nos cùm cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum docuit, ut Nosmet ipſos noſceremus. Cujus præcepti tanta vis, tanta efficacia eſt, ut ea non homini cupiam,

ſed Delphico Deo tribueretur. Nam qvi ſeipſum noverit, aliqvid ſe habere ſentiet divinum, ingeniumqve in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod putabit, tantoqve munere deorum ſemper dignum aliqvid & faciet & ſentiet: unde ſe Virum bonum & ob eam ipſam cauſam beatum, fore cernet.

Diog.) Me igitur qvoqve beatum, ſi me te ad ſapientiam duce Virum bonum eſſe contingat.

Ant. Sapientia ars vitæ putanda eſt, qvæ mœſtitiam ex animis pellit, qvæ exhorreſcere metu non ſinit: qvâ præceptrice in tranqvillitate vivi poteſt, cupiditatum ardore exſtinctô.

Diog.) Qvin accedo, meum qvoqve ardorem exſtincturus. Sed continebo me'etiamnum, plura forſan auditurus. Meditabundus enim obambulat.

Ant.) Præceptori meo Socrati freqvens illud in ore fuit, qvod condiſcipulus meus Plato (uti cætera Præceptoris) in ſcriptum retulit: *Tum demum beatas fore Reſpublicas, ſi eas aut Phi-*

Philoſophi regant, aut qvi regunt philoſophentur. Mihi autem id latiùs extendendum videtur: ad omnem nempe Hominem, qvi ſibi ipſi ordinatiſſimæ inſtar Reipub. eſt, modò eam ordinatè gubernare ſciret: *Tum demum (inqvam) beatas fore res* Hominum, *ſi Mens cujuſqve ſapientiæ lumine imbuta, omnia ſua ratione agere ſciat.* Sed eheu, extremã hominum dementiam, impiamqve ingratitudinem! qvi tantum hoc deorum immortalium munus, *ſapientiam*, tam contemptim habent! Extra Græciã noſtrã qvidqvid gentium eſt, barbaries mera eſt. Græciæ totius ocellus, hæ ipſæ *Athenæ*, urbs noſtra, ſunt: qvam tot ſplendida ſidera, viri eruditi & ſapientes, colluſtrant, lumen ſuum cuivis communicare parati: ideóqve tot *Scholæ*, *Gymnaſia*, *Auditoriáqve publica*, erecta ſunt. Sed qvô profectu? Nonnunquam, ſi novus quiſpiam ſurgit Doctor, concurſus fit ſatis freqvens, audiunt, mirantur, laudant, imitationis ſe abripi & accendi amore dictitant: ſed

nihil ineſt ſtabile, diffugiunt paulò poſt, & redeunt ad ingenium, opum ſcilicet, Honorum, voluptatumqve ſtudia. Sæpè ego Athenienſibus meis dixi: *Civitatem illam interire oportere in qva boni non diſcernuntur à malis.* Et qvid aliud ominari poſſum humano generi, qvàm peſſum iturum? cùm nemo diſcernere à bonis mala, verè inqvam bona à verè malis, ut hæc fugiat illa ſeqvatur, velit. Atqve utinam, ſi fex illa hominum, plebs, divinioris hujus ſtudii amore non tangitur, primores ſaltem, qvi ob generis ſplendorem, aut eminentiores dignitates, aut opum & otii abundantiam, flos hominum videri volunt, hoc ſplendorum, dignitatum, poſſeſſionumque faſtigium, reliqvis illis adjicere non recuſent! utinam & qvi ad ſtudia hæc accedunt, ardorem majorem afferant! Quid nos olim non egimus? qvid non ſapientiæ comparandæ amore toleravimus? Ego ipſe, cùm adoleſcens apud parentes extra Athenas, in *Pireo*, habitarem,

bitarem, qvotidie tamen ad audiendum Socratem, qvadraginta ſtadiis emenſis, huc commeabam. Noſtrorum diſcipulorum nullus reperitur, qvi ſimile aliqvid præ ſe ferat. *Malunt adoleſcentes noſtri otia qvàm labores, comeſſationes qvàm temperantiam, luſus qvàm ludos, choreas qvam choros, Virgines qvàm Muſas, ſectari.* Proteſtatus ſum toties, *Nobilitatem veram in Virtute conſiſtere: Opulentiam veram Sapientiam eſſe*: ut qvæ ſola viatica ejuſmodi parat, qvæ nec eripi poſſunt nec deficere, ut qvæ è naufragio etiam nobiſcum enatant. Voluptatem item veram Temperantiam eſſe: ut qvæ animo ſimul & corpori delicias affert. *Amoremqve caſtiſſimum eſſe, eas amare nymphas, qvas ipſi immortales dii amant, eóqve amore beati ſunt, Virtutes. Labores eſſe rem bonam, & jucundam, magni Herculis & Cyri exemplô* (illud à Græcis noſtris, hoc à barbaris mutuatus) *toties oſtendi.* Sed ſurdis narratur fabula. Aut non accedunt amplius,

audire

audire talia partæſi: aut ſi veniunt, molliter tractari volunt, liberiora monita vel oſcitanter vel aſperè excipientes. Nec parentes advigilant, ut peſtes illas à ſuis profligari juvent: indulgentiâ potius magis corrumpunt. Ita deſerentes ſeipſos homines, ut à diis & hominibus ſapientibus deſerantur, efficiunt. Me certè ingratitudo hæc profeſſorium munus deſerere jam coëgit, ut ne qvicqvam patentem Scholam clauderem, Civitatemqve ipſam cum delira ſua turba relinqverem: in hoc ſeceſſu qviete perfruiturus, contemplationibuſqve bonis vacaturus. Tantum n. mihi mea Philoſophia lucri attulit, ut mecum habitare & colloqvi, méqve ipſo contentus vivere, ſciam. Docebo nunc opere, qvæ ſæpè inculcabam verbis, eos ſolos qvi piè ac juſtè vivunt, beatéqve moriuntur, immortalitatis tenere viam.

Diog.) Non me amplius contineo. Ingrediar hortum, ſenémqve alloqvar, promptitudinem pariter & gratitudinem polliciturus. *Actus.*

Actus I. Scena III.
Diogenes, Antiſthenes.

Diog.) Salve venerande ſenex, ut ego per te ſalveam.

Ant.) Salvos jubeant nos eſſe dii. Sed qvid ſalutatio ejuſmodi ſibi vult?

Diog.) Miſeriarum humanarum terris jactatus & alto, ſalutis portum qværo: qvem ut mihi commonſtres oro.

Ant.) Ænigmata loqveris adoleſcens: dic apertè qvid velis?

Diog.) Sapientiam.

Ant.) Rarum in homine adoleſcente deſiderium: ſi tamen ſeriò loqveris, non ludibrii cauſâ.

Diog.) Nimis ſeriò, crede pater mi.

Ant.) Unde te cupido illa inceſſit?

Diog.) Numinis benignitate factum eſt, ut cùm eſſem ſeculi more vanitatibus deditus, intra aliqvot hos dies me in alium hominem mutatum ſentiam: nihilqve qvàm pravis vulgi conſuetu-

dini-

dinibus abjectis, me totum ſapientiæ ſtudiis dedere cupiam.

Ant.) Sapientiæ pars eſt *Velle ſapere*. Sed dic mihi cujas es?

Diog.) Qvid refert cujas ſim? κοσμοπολίτης ſum, Mundi civis. Tu me ut concivem ſuſcipe, & qvâ parte juvare potes, juva.

Ant.) Pudétne patriæ?

Diog.) Nihil de ea gloriabor.

Ant.) Qvid a. iſtud eſt, qvô te à me juvari poſſe ſperas?

Diog. Ut à lumine tuo lumen accendas mihi, & ex vertiginum vulgarium gyro fugientem, in ſapientiæ tranqvilliorem portum deducas.

Ant.) Philoſophiæ igitur dare operam cogitas?

Diog.) Nihil aliud: qvamqvam ſeriùs forſan accedo, tarditatem tamen gnavitate penſare promitto.

Ant.) Nunqvam ad bonos mores ſera eſt via. Omnis ætatis homines Schola admittit. Stultum eſt, qvia non didiciſti non diſcere. Imò qvia nondum didi-

didiciſti jam diſce. Rebus bonis præſtat ſerò, qvàm nunqvam operam dare. Sed ego gratificari tibi non aliâ ratione jam poſſum, qvàm conſiliô bonô.

Diog.) Et conſilium poſco, & opem.

Ant.) Si à vanitatum ſtudiis ad ſapientiæ ſtudia ſeriò tranſis, opus tibi erit novô librô, novô ſtylô, novaque tabellâ.

Diog.) Qvalibus illis?

Ant.) Novô duce dico, novâ diligentiâ, novâ attentione.

Diog.) Ducem non alium volo, ac teipſum. Tibi me trado, tanqvam rude lignum aſciandum, ſculpendum, poliendum, fingendum & pingendum, pro arbitrio.

Ant.) Per Jovem, ſi mihi dum in docendi officio eſſem oblatus fuiſſet tali ingenio diſcipulus, pari ardore reſponſurus fuiſſem: nunc non ferunt res meæ ut te admittam. Valedixi enim functioni iſti, reliqvum ætatis in hoc ſeceſſu tranſacturus.

Diog.) Ne mihi deneges obſecro: obſe-

obſeqvioſum me habebis in omnibus.

Ant.) Tuíne unius gratiâ novam mihi creabo moleſtiam? Abſcede, qvietem meam ne interturba.

Diog.) Ita me Jupiter amet, ut ego à latere tuo nuſqvam diſceſſero.

Ant.) Ne ſis moleſtus.

Diog.) Ne ſis difficilis ac durus.

Ant.) Adoleſcentes decet modeſtia.

Diog.) Senes decet comitas.

Ant.) Nihil agis.

Diog.) Sed agere non deſinam, donec peregero.

Ant.) Nihil impetrabis: abi.

Diog.) Non abeo.

Ant.) Nî abis, verbera auferes.

(*Hîc intentet ſublatum ſcipionem: Diogenes v. capite ſubmiſſô dicat.*)

Diog.) Cæde, modò doce.

Ant.) Contemnis? fuſtem ergò qværam.

Diog.) Tam durum nunqvam reperies, crede, qvô me abs te abigas.

Ant.)Importune flagitator,efficis ut te amare incipiã.Qvod tibi nomen eſt?

Diog.) Diogenes· *Ant.*)

Ant.) Diogenes? *Jovis progenies?* pulchrum me hercule nomen, utinam bonô omine tibi inditum! Opto igitur, ut Minerva ſapientiæ dea, ejuſdem patris ſoboles, te ut germanum ſuum complexa, ſuis impleat donis!

Diog.) Illud ego ſummum numen ſuſpiriis ardentibus; te autem precibus inſtantiſſimis, fatigare non intermittã.

Ant.) Frugi es adoleſcens. Mores hi tui vincunt moroſitatem meam, ut admittere te in contubernium cogar, qvanqvam longè aliud decreveram. Promittis igitur diſciplinæ obſeqvium?

Diog.) Quicqvid vis ſtipulare, promittam.

Ant.) Paucis expediri poſſunt omnia. Promittis inqvam obſeqvium?

Diog.) Non niſi tua veſtigia obſervabo, religioſiſſimèqve ſeqvar.

Ant.) Promittis ſilentium?

Diog.) Tuô tantùm nutu loqvar.

Ant.) Promittis non minus factis qvàm verbis exprimere, qvicqvid didiceris? *Diog.*) Factis magis qvàm Verbis.

Ant.)

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ant.) Promittis in propoſito conſtantiam?

Diog.) Sola mors me à te, & Philoſophiâ, divellet.

Ant.) Sic probi diſcipuli fungeris munere. En dextram! promitto ego qvoqve tibi fidem & amorem. Seqvere me jam, in urbem tuâ cauſâ redibo, intermiſſumqve officium reſumam.

Diog.) Dii te ſervent, pater, ut tibi, ut mihi, ut multis, diu proſperéqve vivas.

N. B. Hic interponenda erit Muſica, ut Diogeni aliam perſonam (Philoſophi jam ætate grandeſcentis) ſumere otium ſit.

Actus. II. Scena I.

(Prodeat Diogenes mutatùs à priore, habitu & vultu. Vultu vir barbatus jam: habitu Philoſophus, palliô, baculô, perâ, ornatus, inceſſuqve gravi: enarretqve Antiſthenis mortem, & de ſucceſſione deliberet, his verbis.) Cer-

Certum eſt, omne humanum genus qvodcunqve fuit, qvodcunqve eſt, quodcunqve erit, morte damnatum eſſe. Nam ſi qviſqvam effugere poſſet mortem, ſapientibus Viris potiſſimùm id privilegii contingeret, qvibus dii ipſi amici ſunt. Sed Antiſthenis modò obitus docet æqvè illis, ut cæteris, ad immortalitatem viam non dari aliam præter mortem. Dolerem de amiſſo charo Præceptore, ac patre, niſi didiciſſem jam, *Vitam mortis causâ, Mortémqve rurſum vitæ causâ, ſubiri.* Nihil ergò reſtat, niſi ut me ad imitandum ſeriò, omnia qvæ fidus magiſter verbô & exemplo docuit, accingam: nec me ſolum, ſed alios mecum, ad idem exemplum componam. Sapientiæ n. lumen, qvod ex ipſo hauſi, ſentio tam commune eſſe debere, ut hoc Solis lumen [*Obvertet ſe Soli, ſi lucebit*] qvod omnium noſtrûm nunc ſe oculis ex æqvo infert. Imitari hunc Mundi ocellum ſtat mihi ſententia, ut qvicqvid mihi à diis immortalibus infu-

infuſum eſt ſapientiæ, id omne in alios transfundere laborem: Omnes nempe docendo, qvomodo non pecorum ritu, impetu ſolò brutas & irrationales ſeu cupiditates ſeu conſuetudines ſeqvendo, ſed ad rationis & veritatis normas omnia noſtra componendo, vivendum ſit. Propono potius *docere Homines rectam vitam, qvàm numeros Arithmeticos: aut figuras Geometricas, aut ſonos Muſicos, aut logicas captiones, aut ſimiles curioſitates, meliorúmqve & magis ſeriorum remoras*. Id ut proponam, cogit me beluarum bipedum, vulgi, ſtupor, qvorum omnium diſideria eô tantùm ut vivant, non etiam ut benè vivant, tendunt: cùm tamen & muſcæ, & lumbrici, & viperæ, & dracones, vivant, ſed qvô uſu? Iſta pecora ſe homines eſſe, ad aliud aliqvid natos, obliviſcuntur: qvi veternus mihi excutiendus erit. Deliberabo autem, qvâ id potiſſimum ratione inſtituendum ſit, ut efficacius aliqvomodo, velint nolint, permoveantur.

Actus

Actus II. Scena II.

Amphilogus & Elpidius, ſtudioſi.

Amph.) Ain' verò Elpidi? ambire Diogenem profeſſionem publicam?

Elp.) Et quidem ſeriò, Amphiloge.

Amph.) Novi hominis ingenium publici profectûs ardenter avidum. Qvâ parte laudandus utiqve eſt: ſed an tantæ functioni obeundæ idoneus ſit, ego qvidem dubito.

Elp.) Ecqvæ tibi eſt dubitandi cauſa? Ingeniô certè, & eloqventiâ mirè pollet, qvemlibet oratione facile capit.

Amph.) Sed non pollet docentibus inprimis neceſſariâ authoritate.

Elp.) Eam ſibi comparabit.

Amph.) Non poterit.

Elp.) Qvid ita? qvid in homine deſideras?

Amph.) Morum gravitatem.

Elp.) Moribus verò ille ſatis honeſtis eſt.

Amph.) Non de honeſtate loqvor, de gravitate. Philoſophiam docentibus ſeverô vultu opus eſt: ille autem totus eſt jocularis, ut noſti, res ſerias facetiis involvit, eaſqve ſecum una riſui exponit. Qvale illud nuper fuit, qvòd ſpectatum prodiens exercitia Civium noſtrorum jaculatoria, videnſqve qvendam habitu, ſermone, geſtu, ſingulare qvid præ ſe ferentem, ſibiqve præ aliis placentem, & tamen præ aliis imperitè jaculantem, cùm ad eum ordo ſagittam emittendi rediiſſet, Diogenes à turba ſeceſſit, & ſe ſcopo applicavit. Clamantibus, qvid agis? *Ne me feriat*, reſpondit. Innuens iſtum qvidvis potiùs percuſſurum, qvàm ſcopum: ut alibi ſtare minus tutum ſit, in ſcopo ipſo tutiſſimum. Qvô auditô, cachinnari omnes, politulus autem ille pavo erubeſcere ſimul & indignari.

Elp.) Vides qvam acutè? Vix certè aliâ meliùs ratione ſtupidus ille oſtentator

tator vanitatis ſuæ admoneri poterat. Et qvia præceptorum ſeveritate parum in vulgus profici ſatis jam compertum eſt, num ingenioſis ejuſmodi ſalibus & facetiis aliqvid profici poſſit, experiri qvid vetat? Ad qvam rem nemo Diogene magis idoneus.

Amph.) Sales ipſius mordaces ſunt.

Elpid.) Sed bonis innocui.

Amph.) Nemo non ſe bonum exiſtimat; publicis moribus, qvos ille inſectari nunqvam intermittit, neqve poteſt.

Elpid.) Sunt n. corruptiſſimi, & ad ſanitatem revocandi.

Amph.) Mores qvi publicè invaluerunt oppugnare, eſt cum ſeculo pugnare.

Elpid.) Atqvi ſic faciendum eſt, ut qvemadmodum Medicina corporis, ita Philoſophia animi, morbos oppugnet & expugnet.

Amph.) Non tamen exaſperando magis, ſed leniter molliendo, ſedando, educendo.

Elp.) Mollibus emplaſtris non ſemper vulnera curantur, ſecanda & urenda ſunt qvandoqve.

Amph.) Nonniſi caſibus deſperatis, ubi extrema extremis opponi neceſſitas flagitat.

Elp.) Nondúmne extremè depravatos mores noſtros putas?

Amph.) Non dixerim: bona & mala in incremento ſunt.

Elp. Fruſtra de eventu litigamus, exſpectandus erit. Ego nihilominus Diogenis Philoſophiam multis ad ſua mala agnoſcendum, & emendandum, profuturam ſperabo.

Amph. Ego autem optabo: eôqve nec ipſe Diogenis auditorem agere detrectabo. Sed dic, ubinam docebit?

Elp.) Nondum ſcio. Qværit n. aliqvem demum *Mæcenatem*, qvi ſibi *Academiam* aliqvam, vel *Stoam*, vel *Lyceum* exſtruat, ubi publicè doceat.

Amph.) Ubi ubi id futurum eſt, latere nos non poterit. Interea tu vale.

Elp.) Vale.

Actus

Actus II. Scena III.
Diogenes.

Proh Dii immortales! qvæ hæc ſtoliditas, qvis ſtupor! Si qvis hodie Athenas ingreſſus Agyrta profanos edere ludos, h. e. vanis & ſtultis occupare homines, qværat, plures illicò reperiet, qvi ei ædium ſuarum offerant uſuram. Diogeni, Philoſophiæ ſacra tractare, Hominéſqve à rerum vanis ad ſeria traducere inſtituenti, qvi vel Scholā exſtruat, vel in domo atriolum concedat, reperiri neminem? Ego verò qvid jam agam? Cedámne propoſitó? vincíne me patiar? Abſit: contra potiùs audentior ibo, cum barbarie iſta bellum mihi erit. Ingrati Athenienſes, inviſum etiam me habebitis. Porticus hæc Jovis marmorea, tam publici juris & uſûs, ut hîc advenis etiam, & mendicis, & canibus locus ſit, mihi qvoqve exſtructa fuerit. Hîc mihi pa-

latia figam, hîc noctéſqve dieſqvé agam, hîc in perpetuo populi concurſu, & tranſcurſu, docebo: hîc auditores nunqvam deeſſe poterunt. Qvod ſi plures non attendant, ſatis erit attendere aliqvos, ſatis paucos, ſatis unum, ſatis nullum: ego officium faciam. *Antiſthenem* præceptorem meum, qvòd acriùs in Veſtra inveheretur vitia, *Canem vos allatrantem, Scholámqve ejus Caninam* (κυνικὴν) *appellare non eſtis veriti.* Facietis proculdubio mihi, diſciplinæ ejus reparatori, idem. Sed judicia veſtra ſuſqve déqve faciam. *Canem me habebitis, dum ita vultis: ſed vocalem, non mutum:* nec menſarum veſtrarum appendicem, qvi offæ gratiâ aduletur. Ad victum ſimplicem me adſveſeci: panis ſiccus dapes meæ ſunt; aut ſi quandō lautiùs epulari libet, oluſculum adjungo: lympha verò mihi nectar præbet. Ita deliciis vobiſcum, ſaginati porci, certabo.

Atenim, ſi mihi hîc in foro habitaculum figo, qvomodo ſub dio ſemper con-

conſtitutus aëris feram injurias? ſi pluat, ſi ningat, ſi grandinet, ſi ventus impetuoſus ingruat, ſi æſtus aut frigus urat, qvid agam? Aut ingeniô hîc aut patientiâ erit opus, qvorum neutrum deeſſe poterit Philoſopho. Tectum ego qvidem, qvod me à pluvia & ventis defendat, facilè mihi paravero: ad cætera obducendus erit callus.

(Hîc ſecedat, moxqve reverſus advolvat ſibi Dolium ita aptatum, ut erectum relinqvat foramen patulum, qvâ ei ingredi & egredi liceat. Hoc ergò ad parietem alicubi advolutum ſtatuminet: ingreſſusqve & proſpectans, gaudentis geſtus exhibeat, ſecúmqve ita loqvatur.)

Dii boni, qvàm compendioſè ſic vivitur! ubi qvis omnia ſua ſecum habet. Non commutârim Cræſi divitiis hanc fortunam meam. Qvis me beatior? qvem dii tot compedibus liberârunt, qvibus vulgò homines, opum, hono-

honorum, voluptatum mancipia, conſtricti tenentur.

Verumenimverò nullius boni poſſeſſio ſine ſocio jucunda eſt: invitandi ſunt mihi ad hanc mentis qvietem, tanqvam perpetuum convivium, qvicunqve participare volent: ut exemplô meô *qvantum ſit qvò carere poſſumus*, diſcat Mundus. Paucos fore qvi imitari velint, ſat ſcio: plures qvi irrideant, plurimos qvi inſanire me dicant. Sed obfirmandus eſt adverſus omnia animus. Exprobrent illi mihi deliria, ego illis: ita mihi cum vaniſſimis illorum vanitatibus perpetua erit lucta, donec tandem aliqvi ad mentem redeant. Ecce ecce jam confluunt, jam capita conferunt, jam oculos huc obvertentes me ſibi ſpectaculum faciunt! Prodibo & alloqvar.

Actus

Actus II. Scena IV.
Diogenes cum plebe.

Diog.) Heus, heus Homines!
(*Ubi autem concurrerint plurimi, baculô hos abigat, dicens.*)
Homines vocavi, non purgamenta.

1. *Aliqvis è turba*) Non tibi homines videmur?

Diog.) Homines verò eſſe qvi humana non curant!

Idem) Qvid ergò tibi Homo eſt?

Diog.) Animal divinum, rationis plenum, omnia ſua ratione adminiſtrans.

Idem) Ecqvid ergò in nobis deſideras?

Diog.) Omnia.

Idem) Adeón' in nobis nihil humanum reperis?

Diog.) Præter formam externam nihil. Omnes veſtrûm ut vivant, curant; ut benè, nemo.

2. *Alius è turba*) An ergò malum eſſe putas vivere?

Diog.) Non vivere malum eſt, ſed malè vivere malum eſt: qvod vos facitis.

Idem) Omnésne inſectaris?

Diog.) Eqvidem dum Philoſophos, Medicos, rerúmqve publicarum gubernatores contemplor, *omnium Animalium ſapientiſſimum Hominem eſſe video.* Dum verò Augures, Aruſpices, ſomniorum interpretes, vóſqve irrationalem turbam intueor, nihil ſtultius exiſtimo homine.

3. *Alius*) Ecqvid tibi tam monſtroſum videtur in nobis? oſtende.

(Hîc Diogenes retrò incedat, titubans ac vacillans. Illi v. riſu & cachinnis qværant.)

Qvid agis? *Diog.*) Id qvòd vos agitis; niſi qvod minus turpe ſit retrorſum incedere, qvàm retrorſum vivere.

Idem) Qvâ id ratione?

Diog.) Omni ratione.

Idem) Da exemplum.

Diog.)

Diog.) Exemplum? qvicqvid agitis, exemplum eſt: virtutes ore laudatis, vitâ nil niſi vitia exprimitis. Vitam Deos oratis, & vitam ipſi qvaſi datâ operâ perditis. Pro valetudine enim ſubinde ſacrificatis, & ſtatim à ſacrificio contra ſanitatem cœnatis. Et qvamdiu vivitis, vosmet ipſos luxu, libidine, balneis, putrefacitis: morientes autem mandatis corpus ſuffitibus aromaticis recondi, ne citò putreſcat. Et qvid multa? omnia contra rationem agitis.

4. *Alius*) Adeóne tibi lautior vita noxia videtur?

Diog.) Ædes ubi alimentorum copia ſervatur, multos nutriunt mures & feles: Corpora qvæ multum cibi capiunt, multos alunt morbos.

Idem) Qvàm verò rationabilis eſt vita tua, qvi in foro edis, bibis, dormis.

Diog. In foro enim eſurio, ſitio, dormiturio.

Idem) Et non abſtines à locis immundis, cauponis & popinis.

Diog.) Sol etiam cloacas ingreditur, nec inqvinatur.

5. *Alius*) Meminiſtíne te falſarium monetæ fuiſſe?

Diog. Erat tempus qvô talis eram qvalis tu modò es: qvalis a. ego nunc ſum, tu nunqvam eris his moribus. *Plebs*. Ha ha he!

Dio.) Abite verò, mihi tempus prandii eſt. (*Atqve prodeat, qvaſi qvæſitum aut petitum obſonii aliqvid. Redeat autem ferens in patella oluſculum, cum panis fruſto: confidensqve prandere incipiat. Tum è turba.*

6. *Aliqvis*) Nonne indecorum eſt te in propatulo agere omnia? prandere etiam.

Diog.) Si prandere malum non eſt, nec in foro prandere malum eſt. Sed prandere nihil mali eſt: Ergò nec in foro prandere malum eſt.

Idem) Dic Philoſophe, Qvando edendum eſt?

Diog. Diviti licet, qvando libet: pauperi, qvando habet.

(*Tum*

(Tum dimittat aliqvis murem, ut tranſcurrat: qvem conſpicatus Diogenes, dicat:)

Ecce, Diogenes etiam paraſitos nutrit!

7. *Aliqvis è turba)* Canis, canis.

Diog.) Vos eſtis canes, qvi prandentem circumſtatis.

8. *Alius)* Ajunt tibi ſervum aufugiſſe, qvem habebas, Manem: cur non reqviris?

Diog.) Turpe eſſet Manem poſſe carere Diogene, Diogenem Mane non poſſe?

Idem) Si ergò mortem obieris, qviſnam te ad ſepulchrum efferet?

Diog.) Qvi loco iſto indigebit.

(Ariſtippus Philoſophus tranſiens, & oleribus veſcentem conſpicans, dicat.)

Si te Dyoniſio Regi accommodare ſciviſſes, oleribus non veſcereris.

Diog.) Si tu oleribus veſci didiciſſes, Dyoniſii canis non eſſes.

9. *Alius è turba)* Heus tu, dic, Philoſo-

loſophus etiámne placentis veſcitur?

Diog.) Qvid? num putas apes ſtultis tantum mellificare?

(*Tum ruſticus qviſpiam, conſpicatus Diogenem eadem patellâ, ex qva oluſcula exederat, aqvam ſibi ad potum miniſtrare, dicat.*:)

Ruſt.) Nos ruſtici cavâ manu haurire ſolemus aqvam.

Diog.) Ita eſt per Jovem: Non defuit nobis in providenda hoc etiam utenſili natura. Næ ego inutilem hanc ſuppellectilem fruſtra circumfero!

(*Abjiciátqve patellam.*)

10. *Qviſpiam*) Ecce ruſticum te ſapientiorem!

Diog.) Eâ qvidem parte. Philoſophus autem nunqvam à qvoqvam diſcere erubeſcit: diſſimilis vobis, qvi brutis naribus, auribus, oculis, circumambulatis, nihil unde proficiatis invenientes.

Idem) Tu nimium Philoſophus es.

Diog.) Chori magiſtros imitor, qvi tonum

tonum legìtimum excedere ſolent, ut alii congruum arripiant.

Idem) Me tua Philoſophia non delectat.

Diog.) Non Philoſophiam nunc audis, ſed ſapientiæ cum ſtultitia rixas. Philoſophiam meam audire qvi volet, cras veniat.

(*Ingrediatur dolium ſuum.*)

Actus II. Scena V.
Diogenes, cum Diſcipulis octo anonymis, & Hegeſia.

1. *Diſcipulus primus*) Magiſter venerande, adſumus, ut invitabas heri. Tu nos utilia doce, qvæſumus te.

Diog.) Qværite qvicqvid vultis.

Idem) Naturale eſt bonum amare, & eô delectari. Ideòqve omnium hominum ſtudia ad bona acqvirendum, & iis

iis fruendum, feruntur. Sed variè admodum. Alius n. hoc, alius aliud bonum qværit, & eô ſe oblectat. Tu a. qvale bonum nobis commendas?

Diog.) Optimum.

Idem) Ecqvodnam illud eſt?

Diog.) Libertas.

Idem) Qvid per libertatem intelligis?

Diog.) Statum illum optimum, qvô homo non ſerviens extra ſe rebus, intra ſe vitiis, ſui juris eſt.

Idem) Qvid eſt ſervire Rebus?

Diog.) Multis egere, deſideriôqve illarum dum abſunt angi, & amittendarum metu dum adſunt cruciari, poſſidendarumqve & utendarum labore occupari. Qvâ ratione nullus delicatus, avarus, ambitioſus, liber eſt: qvia deſideriô, metu, occupatione, ut compedibus conſtrictus tenetur. Liber autem eſt, qvi ſeipſo contentus rerum extra ſe non eget, ſed iis, liberè ut offeruntur perfruitur.

Idem) Qvid autem eſt ſervire vitiis?

Diog.)

Diog.) Cupiditatibus & affectibus diſtrahi, impetúqve brutô & irrationali in omnia ferri. Cavete has ſervitutes, ut liberi eóqve felices ſitis.

2. *Diſcipulus.*) Felicitas vera qvid eſt?

Diog.) Semper lætari, nunqvam triſtari, qvôcunqve tempore & loco.

Idem) Iſtuc autem qvomodo obtineri poteſt?

Diog.) Si prævenire ſciatis ea qvæ turbant: nempe ſervitutem, de qva jam dixi, & caſus triſtes.

Idem) Caſus prævenire éſtne in hominis poteſtate?

Diog.) Qvi cavet unde cadere poſſit, is non cadit. Sed & ſi prolabamur, noſtrâ vel alienâ culpâ, remedia dantur.

Idem) Qvænam illa?

Diog.) Semper opponatur Conſvetudini Natura, Perturbationi Ratio, Fortunæ Confidentia, Timori Conſcientia. A timore enim nemo liber eſt, niſi ſibi bene conſcius.

1. *Ter-*

1. *Tertius*) Ut ſeipſum qvis nôrit, qvid opus eſt?

Diog.) Aut fidis amicis, aut acribus inimicis. Illi enim monendo, hi mordendo, nævos oſtendunt, qvos ipſi per nos non videamus. Sed & ſibi ipſi Præceptor eſſe poteſt, ſi ſapit.

Idem) Id autem qvomodo?

Diog.) Si qvicqvid vituperabile in aliis videt, eô ſibi interdicat: qvicqvid laudabile, id ſibi præcipiat ac mandet.

Idem) Virtutis iter arduum eſt.

Diog.) Ut cæterarum actionum, ita & virtutis, conſvetudo exercitiis paratur.

4. *Qvartus*) Nobiliſſimi hominum qvinam ſunt?

Diog.) Contemptores rerum tranſitoriarum, Opum, honorum, voluptatis, vitæ.

Idem) Vir bonus qvid eſt?

Diog.) Simulacrum Dei, qvia omnibus benefacere ac prodeſſe qværit, qvod Dei proprium eſt.

Idem)

Idem) Qvidnam eſt miſerrimum in vita?

Diog.) Senex egenus: qvem & naturæ præſidia deſtituunt, & fortunæ.

Idem) Ergóne tu qvoqve miſer es? Senex enim es, & pauper es.

Diog.) Sapiens pauper non eſt, qvia dives eſt. Non enim rebus indiget, ſed res indigent ejus.

Idem) Qvomodo non indiget?

Diog.) Qvia nullâ re caret, qvi omnia poſſidet: qvod ſic probo. Amicorum omnia communia ſunt. Sapiens amicus eſt Deo: Dei autem ſunt omnia. Ergò Sapientis ſunt omnia.

Idem) Cur ergò tu, ſi poſſides omnia, à divitibus petere ſoles neceſſaria?

Diog.) Non peto, ſed repeto. Etiam Dominus à ſervo ſuo, promocondo, petit: nec tamen ut aliena petit, ſed ut ſua repetit. Ita divites ſapientum promicondi ſunt.

Idem) Cur ergò divites tam difficiles hîc ſe præbent, ut mendicis potius

tius largiantur qvàm Philoſophis?

Diog.) Qvia rem non intelligunt; ſéqve aliqvando cæcos & claudos fieri poſſe ſperant, Philoſophos minimè.

5. *Qvintus*) Dic nobis, Philoſophum Virtúsne an Eruditio magis ornet?

Diog.) Utrumqve. Oportet enim & ſcire rectum & exprimere vitâ.

Idem) Si tamen alterutro carendum ſit, præſtátne virum bonum eſſe, an virum doctum?

Diog.) Bonum.

Idem) Qvid ergò Eruditio?

Diog.) Virtutis fulcrum eſt. Adfert enim juvenibus ſobrietatem, ſenibus ſolatium, pauperibus divitias, divitibus ornamentum. Erudita qvippe occupatio ætatem ſuâ ſponte lubricam ab intemperantia coërcet; Senectutis incommoda honeſto ſolatio mitigat; Pauperibus pro viatico eſt, Divitum autem fortunas ornat.

Idem) Da nobis prudentiæ aliqvam regulam.

Dio.

Diog.) Plus deliberare qvàm concludere, & plus concludere qvàm exſeqvi, adverſus multa mala remedium eſt. Probo itaqve eos, qvi uxorem ducturi, non ducunt: & qvi navigaturi, non navigant; & qvi familiam alituri, non alunt; & qvi ad rem publicam acceſſuri, non accedunt; & qvi ſe ad convivendum præpotentibus componunt, nec tamen accedunt. Verbô, qvi licitis etiam abſtinent, ut ſui juris ſint.

6. *Sextus*) Qvid cavendum eſt illi qvi in mulierum amorem incidere nolit?

Diog.) Otium. Iſte enim affectus otiô deditos potiſſimum occupat, facitqve ut ex otio in rem negotioſiſſimam incidant.

Idem) Qvomodo utendum eſt illis qvorum ſub poteſtate vivimus?

Diog.)Ut igne. Non accedendum eſt propè nimis, ne exuraris: nec procul nimis, ne rigeas.

Diſcip.) Cùm vivere neqveamus ſine

ſine inimicis, dic qvid faciendo poſſit aliqvis maximè ulciſci malevolos?

Diog.) Qvàm honeſtiſſimè vivendo. Si enim agrum tuum conſpiciens benè cultum diſcruciatur inimicus, qvid fiet ſi te ipſum videat ornatum bonis?

(*Hic Diogenes conſpectô puero qvodam, diſcipulorum turbæ ſe intermiſcente, accerſet illum & dicet.*)

7. Adoleſcens, visne etiam Philoſophiæ dare operam?

Ille) Non mihi ad Philoſophiam mens eſt.

Diog.) Qvid ergò vivis, ſi tibi rectè vivendi nulla cura eſt? Non enim in hoc vivit homo, ut vivat tantum, ſed ut rectè vivat: qvod Philoſophia docet.

Ille) Hebes mihi eſt ingenium.

Diog.) An ergò temulento patre ſatus es?

8. *Alius adoleſcens prodeat*) Magiſter, ego apud te manebo.

Diog.) Rectè: hanc ergò geſtabis mihi pernam.

Imponatqve collo ejus: qvi talium inſve-

ſvetus, erubeſcat, ſeponat, & abeat. Tum Diogenes.)

Tuam & meam amicitiam perna diſſolvit. Ita fit illis, qvi diſcipuli eſſe volunt, ſed ſine diſciplina.

9. *Hegeſias*) Qvæſo te Diogenes, da mihi commodato libros, unde ſapientiam diſcam.

Diog.) Non ſapis Hegeſia, qvi cùm Ficus veras potius qvàm pictas eligas, non etiam Sapientiam vivis potius exercitiis tibi comparas, qvàm pictis. Abite nunc jam filioli, aliàs plura.

Diſcipuli) Vale, Vale, Vale, &c.

(*Diſcedant, Diogenésqve in Dolium redeat.*)

Actus II. Scena VI.

Nuntius, Præco, Diogenes, Civis qvidam Athenienſis.

Nuntius) Heus heus Athenienſes! dormitis in utramqve aurem, periculi qvod

quod imminet uſqve adeò ignari ? Exercitu validô appropinqvat Rex Philippus.

(Interpoſitâ ſilentii morâ prodeat alius, aliô habitu, dicátqve)

Præco) Senatus conſultô decretum eſt, ut omnes Athenarum incolæ, Cives & peregrini, arma capeſſant, & qviſqve defenſionem ſui & urbis, publicè & privatim, moliatur.

(Hîc diſcurſatio multorum fiat, decem circiter aut duodecim cum gladiis, haſtis, arcubus, bombardis, huc illuc. Diogenes verò ſtrepitu illo qvaſi excitatus proſpiciat è dolio, & dicat.)

Diog.) Qvis tumultus in urbe?

(Cui nemo reſpondeat, ut à pavidis tranſcurſoribus ſolet. Ille itaqve prodeat è dolio, & qværat ex uno & altero; prehendens tandem qvendam dicat:)

Qvin tu mihi narras, qvid rei ſit?

Ille) Hoſtis adeſt.

Præco conſiſtens clamet:) Ad urbis

bis mænia reparanda lapides, lateres, tigna, trabes, & qvod qviſqve poteſt, comportari Magiſtratûs juſſum eſt.

(Ferant ergò lapides, lateres, etiam qviſpiam truncum humeris, qvô pertranſiens Diogenem feriat, demumq; dicat: Hem cave!

Ad qvem reſpectans Diogenes:)

Num iterum ferire vis? *(Paulò pòſt.)* Publicâ hâc omniũ occupatione me ſolũ eſſe otioſũ non convenit: cum Domuncula qvoqve mea mihi negotiũ eſto.

(Invadátqve Doliũ ſuũ, & illud huc illuc volvat.) Tum qværat aliqvis è turba.

Alius) Qvid iſtuc agis Diogenes?

Diog.) Téne Athenis adeò hoſpitem eſſe, qvi neſcias otio interdictum eſſe omnibus?

Præco) Qvieſcite ó Cives! Hoſtis alio verſùm progreſſus eſt.

(Incipiat ergò tumultus ſedari: Diogenésqve dicat)

Sperabam ego in qvietem deſituros motus hoſce. Redeunt ad ſua qviſqve. Sed redibunt ad ingenium qvoqve,

credo, metúqve hoc perfuncti cuticulam egregiè curabunt hodie. Redibo & ego ad meditationes meas.

(*Redeátqve in Dolium.*)

Actus II. Scena VII. Philippus Rex, Clitus Conſiliarius: Excubiarum præfectus: Diogenes.

(*Ingrediatur in ſcenam armatorum catervâ ſtipatus Philippus Macedoniæ Rex, caneſcens jam: confidensqve, ſuos præfectos ſic alloqvatur.*)

Phil.) Qvod me ad juſtum hoc Græciæ urbibus inferendum Bellum concitavit & armavit, inſolentia illorum eſt: qvi affectatâ libertate ſuâ & potentiæ meæ obſtant, & naturæ ipſius ordinem invertunt. Omnia enim qvæ uſqvam ſunt, & regimine aliqvô continen-

tinentur, optimam Reipublicæ formam eſſe Monarchiam docent. Unum eſt in homine *Cor*, motuum omnium principium. Unus inter animalia *Homo*, omnium qvæ in terra fiunt gubernator. Unus inter ſidera *Sol*, motuum omnium cœleſtium moderator. Unus inter ſuperos *Jupiter*, Deus ſummus, cujus nutu fiunt omnia. Pariter in humana ſocietate, ſi rerum ſumma penes unum ſit, ordine ſtabili procedunt omnia: ſi multi regnare volunt, anarchia fit, aut democratia, aut certè enim multò his melior ariſtocratia. Ubi enim æmulationibus locus eſt, diſcordiis ac ſeditionibus via ſemper parata eſt. Nonne?

Clitus) Ita eſſe, ſapientiſſime Rex, nihil opus eſt exempla longè peti, hæ ipſæ Græciæ Urbes perpetuis inter ſe diſcordiis ferventes, perpetuô nobis ſunt ſpeculô. Bellô Peloponneſiaco, qvod ex ambitione Athenienſium contra Lacedæmonios exarſit, omnésqve illas liberas, ſi diis placet, urbes invol-

vit, anniſqve 27 duravit, qvot centena Hominum millia abſumpta ſunt? qvot Regiones deſolatæ? qvot urbes in rudera redactæ? Talia verò ſi omnes illi uni ſubeſſent capiti, nunqvam evenirent.

Phil.) Rectè dicis. Cum igitur inter omnes Græciæ Principes, qvi qvidem Regum titulo gaudent, me unum eminere, mihiqve non Macedonas ſolùm meos hæreditatis jure, ſed & gentes alias belli jure, ſubeſſe voluerunt dii, qvid magis æqvum, qvàm ut hi qvoqve noſtro ſe ſubmittant imperio? Sicne cenſetis?

Duces, qviſqve pro ſe:) Sic omninò Rex Potentiſſime.

Phil.) Cùm ergò conſiliô Veſtro bellum hoc ſuſceptum ſit, jamqve hoſtium fines ingreſſi ſumus, tu Excubiarum præfecte diligenter invigila, ne qvid per proditionem hoſtilis machinatio in nos poſſit.

Excub. præfectus) Curabitur probè. *Exeátqve, & mox reverſus addu-*

cat

cat Diogenem Regi, his verbis)

Sereniſſime Rex, homo iſte Græcus, caſtra clam ingreſſus, comprehendi à me juſſus eſt, tibíqve ut ſuſpectus ſiſtitur.

Phil.) Tu homo ſpeculator es.

Diog.) Ita eſt, ſum. Speculatum enim veni tuam, ó Rex, ſtultitiam: qvi cùm altâ pace perfrui poſſis, ſi Te & Tuo Regnô contentus ſis, alieni deſiderio te ipſum inqvietas, & periculis objicis. Noli enim putare tibi cum betis & fungis rem fore: Viros habes ante te, qvi qvàm defenſare ſciant libertates ſuas, Xerxis exemplum docere te potuit. Nunqvam tu tantis exercituum copiis terras & maria opplere poteris, uti Xerxes, deciès ſepties centenis millibus: qvos omnes peſſum dedit, ſéqve ipſum unâ perdidit, Græcæ libertatis invidiâ malè uſtus Perſarum ille Monarcha. Oblitus tu es ejus tragædiæ, qvod novam occipias?

Phil.) Qvis tu es, ó homo?

Diog.) Amicus tuus, & horum o-

mnium (*manu monſtret duces & exercitus*) æqvè ut Græcorum: qvos exitio ſe nullâ cauſa devovere dolori mihi eſt.

Phil.) Qvod tibi nomen eſt?

Diog.) Diogenes Philoſophus.

Phil.) Illéne Cynicus.

Diog.) Is ipſe.

Phil.) Effeciſti qvod voluiſti, vir ſapientiſſime. Liberaſti me qvidem inutili occupatione ac periculis, Græcos tuos metu. Adesdum, mane apud me, inter amicos mihi eris.

Diog.) Semper eqvidem fui & ero: ſed præſentia mea tibi inutilis eſt.

Phil.) Qvid ita?

Diog.) Nec ego Tuos & Aulæ mores ferre poſſem, nec tu meos. Amicitia noſtra eminus conſervari poterit tutiùs. Vale, & te ad tua recipe, tuisqve contentus vive, ut qvietè vivas. Plus habes domi qvod agas, qvàm ut alibi demum occupatio qværenda ſit.

Phil.) Non manes?

Diog.) Non. Vale, tecúmqve omnes Tui.

(*Abeat.*

(*Abeat. Rex verò ad ſuos converſus*)

Phil.) Videtis qvid non ſapientia poſſit? Revocat hæc res in memoriam mihi multa errata mea, qvorum ſæpiùs pœnituit. Id verò ne filio meo, & in Regno ut ſpero ſucceſſori, Alexandro eveniat, providendum mihi eſt. Propono jam nunc ſapientiſſimum aliqvem Athenis evocare Philoſophum, cui filium meum informandum committam, ut non experimentis demùm, qvod ſine periculo non fit, Rex bonus & ſapiens evadere neceſſe habeat. Redeamus jam domum.

(*Muſica inſonet.*)

Actus III. Scena I.

Diogenes cum turba.

(*Prodeat cum accenſa lucerna, qværátqve diligenter per forum & angulos qvóſvis, tacitè.*)

1. *E turba aliqvis.*) Qvid qværis Diogenes?

Dio.) Homines.

Aliqvis.) Homines? Ecce circumſtant te undiqve.

Dio.) Turbam video, homines non video.

Cauſidicus) Injuriarum actionem tibi intendo, judicium patieris.

Dio.) Qvô in foro?

Cauſid.) Areopagitico.

Dio.) Hem, capitaléne eſt crimen brutè viventes brutalitatis ſuæ admonere?

Cauſ.) Crimen infamiæ eſt.

Dio.) Homines ſint oportet litem hanc qvi dirimere volent, non hominum umbræ.

Cauſ.) Etiam Judicibus maledicis?

Dio.) Ego nemini maledico, omnibus benè cupio & opto, ſed vix cuiqvam iſtorum benè ominor.

Cauſ.) Si hos contemnis, plebejos, ſubſiſte modò paululùm, alios tibi adducam, in qvibus nihil qvod deſideres invenias.

Dio.) Utinam! ſed qvalésnam illos?

Cauſ.)

Cauſ.) Eruditos,honoratos,divites, ſimileſqve, florem hominum.

(*Abeat ille: Diogenes verò obambulet exagitaturus plebem, & exagitantandus à plebe. Et primò qvidem cohorreſcens qvaſi frigore.*)

Dio.) Frigus urit: nemóne veſtrûm eſt, qvem mei miſereſcat, ut ſeminudum operiat?

(*Tum aliqvis è turba circumjiciat illi togam, pellibus ſubductam, cui ille poplite ſummiſſo,* Gratias *dicat. Alter verò ille:*)

Reſpondere nobis tenebris ad interrogata qvædam.

Dio.) Si qvid diſcere libet, qværite; ſed cum attentione, ne ſaxis loqvar.

Ille) Dic nobis: *Mors*, eſtné malum qvid, an bonum?

Dio.) Neutrum: non enim ſentitur. Nam qvamdiu homo ſentit,vivit: nondum ergò ei adeſt mors. Cùm autem ſentire deſinit, tum mortuus eſt. Ergò tunc adeſt ei mors,ſed qvam non ſentit. Qvod qvis autem non ſentit, illud ei

nec bonum nec malum eſt. Mors ergò mala non eſt: ſed iter ad mortem malum eſt, Morbi. Qvod malum ſi metuimus, tota hominis vita malum erit: qvia tota ad mortem iter eſt.

Idem) Dic: Vita qvomodo à Diis qværenda eſt?

Diog.) Vita à diis facilè datur; ſed occultatur ab illis, qvi eam in mulſo & ſimilibus qværunt.

Alius) Qvidnam in mundo celerrimè ſeneſcit?

Diog.) Beneficium: celerrimè enim ejus venit oblivio.

Idem) Animal qvodnam eſt mordaciſſimum?

Diog.) Si de feris interrogas, Obtrectator: ſi de manſvetis, Adulator.

Idem) Adulatio qvid eſt?

Diog.) Melleus laqveus, qvô aliqvis blandè ſuſpenditur.

Alius) Dic nobis, Aurum cur palleat?

Diog.) Utilis ſcilicet ad vitam qvæſtio.

Ille)

Ille) Reſponde tamen.

Diog.) Qvia multos habet inſidiatores. Pallent enim qvi metuunt.

Alius) Qvid videtur de iſtius Domûs inſcriptione, οὐδὲν εἰσίτω κακὸν? (*Nihil ingrediatur mali.*)

Diog.) Qvis iſtud ſcripſit? ℞. Dominus ædium, Eunuchus.

Diog.) Homo iſte malus? ſcelerum ſentina? Qvâ ergò ingreditur ipſe? hâc enim ingreſſu ſibi interdixit.

Populus) Ha ha he.

Præco) Audite ô cives. Si qvis eſt, qvi ædes amplas & commodas emere velit, *Philænii Aſoti* venales ſunt.

Diog.) Iſtum ego hominem, vino dedititiſſimum, aliqvando domum ſuam evomiturum prævideram.

Plebs.) Ha ha he.

Alius) *Diogenes*, cave tibi ab amicis.

Diog.) Inimicos forſan dicere voluiſti. Ab inimicis enim cavemus, amicis fidimus.

Idem) Qvodnam terra graviſſimum onus portat?

Dio.) Hominem indoctum.

Alius pugnum intentans illi) Tu, qvid vis, ut colaphum accipias?

Dio.) Galeam.

Plebs) Ha ha he!

(*Tum aliqvis à tergo Diogeni veniens trabe ipſum percutiat, demumqve* Cave, *dicat. Cui ille, impacto priùs qvoqve capiti bacillo*, Cave, *regerat.*)

Alius) Vir ſapiens, ſolétne iraſci?

Dio.) Ira furor brevis eſt, ſapientem non decet.

Idem) Tu igitur non iraſceris qvicqvid factum fuerit?

(*Inſpuátqve illi in faciem.*)

Dio.) Adoleſcens proterve, non qvidem iraſcor, dubito tamen an iraſci tibi oporteat. Abeo.

(*Recipiat ergò ſe ad ſuum Dolium. Sed qvi togam dederat dicat*)

Heus tu, qvin togam reddis!

Dio.) Si dediſti, habeo: ſi commodaſti, utor.

Ille

Ille) Non reddis?

Dio.) Non reſpondes? Turpe eſt repoſcere, ſi donaſti: inhumanum eripere, opus habenti.

Ille) Eam igitur tibi habe.

Dio.) Tibi autem ſuperi pro me reddant:

(*Ingrediatur dolium, & plebs hinc inde dilabatur.*)

Actus III. Scena II.
Cauſidicus cum aliis multis.

Cauſidicus) Heus heus Diogenes, prodi. (*Diogenes proſpiciat, tacitèqve circumſpiciat.*) Qvin prodis? Nunc tibi non cum turba ſed cum hominibus, negotium erit.

Dio.) Qvos narras homines?

Cauſ.) Qvos vides, prodi. *Prodeat ergò*) Ecce hîc ſunt *Philoſophi*, *Phyſici*,

Ethici, Mathematici, Aſtronomi, Aſtrologi, Oratores, Grammatici, Poëtæ, Muſici, Politici, Magiſtratum & publicos honores gerentes, viri ſapientiſſimi, opulenti item Oeconomi, & prudentes Patresfamiliâs. Etiamnum accendis lucernam, ut homines qværas?

Diog.) Titulos audio.

Philoſ.) Qvid in nobis deſideras?

Diog.) Nihil, dum tacetis.

Philoſ.) Loqvemur igitur. Philoſophia noſtra docet res ſubtiliter ſpeculari.

Diog.) Præſtaret, vos vivere ac mori doceret.

Geometra (circinô & normâ inſtructus:) θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ [Deus ſemper menſurat] Qvidnî igitur ego in Geometricis potiſſimùm occuper? graviterqve indigner, ſi in ſpeculationibus me qviſqvam turbet.

Diog.) *Euclidis* σχολὴ χολή: Illa Exercitatio, Cerebri exenteratio eſt.

Aſtronomus (Sphæra cum armillari) adſtans:) Scientiarum nobiliſſima hæc

noſtra

noſtra eſt, qvæ Cœlorum arcana recludit.

Diog.) Qvando de Cœlo veniſti?

Aſtr.) Oculis iſtuc qvoties libet exſpatior.

Diog.) Id æqvè poteſt idiota, & barbarus qviſqve.

Aſtr.) Sed non ea intelligit, neqve Stellas errantes à fixis dignoſcit.

Diog.) Ne mentiaris, vir bone: Stellæ non errant, ſed iſti (*manu commonſtratâ turbâ.*)

Aſtrologus) Nos è ſideribus futura præcognoſcimus.

Diog.) Et ea qvæ ante pedes ſunt ignoratis.

Grammaticus) Homero noſtro, & Poëtis, nobiſqve Poëtarum interpretibus, qvid vitio das?

Diog.) Qvod dum in Ulyſſis errores inqviritis, veſtros ignoratis.

Poëta) Qvid nobis Poëtis dicis?

Diog.) Vos eſſe *Syllabarum Reges*, qvas operosè in metrum cogitis; de cogendis autem in harmoniam Moribus non cogitatis. *Ora-*

Orator) Qvid nobis Oratoribus? qvi linguæ plectro animos trahimus, populóqve utiliſſima qvæqve perſvademus?

Dio.) Vos eſſe turbæ mancipia, affectibus illorum ſervientes.

Muſicus) De Muſicis qvid ſtatuis?

Dio.) Vos in jus voco, qvi cum Ligno aptare nôritis ſonos, non noſtis pariter ad rectam rationem concinnare Mores.

Jureconſultus) Qvid vitio das profeſſioni noſtræ, qvæ tota in adminiſtranda juſtitia verſatur?

Dio.) Sæpè fur major ſuſpendit minorem.

Oeconomus) Qvid nobis qvi rem familiarem prudenter curandi artem ſectamur?

Dio.) Miſerum eſt, vos Cellas promptuarias, Veſtes, Nummos, obſerare vectibus, & ſeris, & ſignaculis, Corpora autem & Animas undiqve patentia circumferre, per os, aures, oculos, pudenda, & qvâ non?

Dives)

Dives) Qvid nobis, qvos dii bonis compleverunt, dicis?

Dio.) Fruſtra habet multa, qvi ſeipſum non habet. Nam ut in Civitate, ſic in Domo opulenta, Virtuti locus non eſt.

Dives) Qvid ergò Divitias eſſe dicis?

Dio.) Fortunæ vomitus.

Dives) At tu de hoc vomitu participas, quoties apud divites mendicas.

Dio.) Neceſſaria dant nutrimentum: ſuperflua vomitum.

Avarus) Mihi nihil ſuperfluum eſt, qvidqvid affluit, ſervo.

Dio.) Ergò hydropicus es, qvi ſemper bibit & ſemper ſitit.

Prodigus) Mihi contraria eſt conſvetudo, rivuli à me qvoqvoverſus dimanant.

Dio.) Donec tibi remaneat nihil: ut iis evenit qvi ſanguinis profluviô exſtingvuntur.

Prod.) Nihil ergò à me ad te transfluere vis?

Dio.

Diog.) Minam à te poſco ſolidam.

Prod.) Hui nimium.

Diog.) Nihil enim amplius à te ſperare poſſum, dum omnibus dilapidatis bonis non erit unde des. Tu autem Avare, ſi aliis dediſti, da & mihi: ſi hactenus nemini, à me incipe.

(*Poſtqvam dederit, dicat qviſpiam.*) Hui te liberalem! (*Diogenes autem*) laudas illum qvi dedit. cur non me, qvi ut ille daret effeci?

Aliqvis) Turpe eſt Philoſophum eſſe petacem. Plato id non facit.

Diog.) Petit & ille, ſed admoto capite, ut ne qviſqvam exaudiat alter.

Nobilis) Etiam generis ſplendorem elevas, homo futulis? En tibi antiqva ſtemmata! en titulos! en arma!

Diog.) Non tu deſinis virtutis ſtramenta pudefacere? Non qvales fuerunt qvi iſta meruerunt, ſed qvalis tu qvi jactas, intereſt.

Athleta) Qvid tibi ludi noſtri videntur?

Diog.) Stultorum miracula.

(*Tum*

(Tum aliqvis puer, ſaltu artificioſô capreolos imitando, laureolam captet: Cui Diogenes:)

Qvantô melius, tantô pejus.

(Alium videat delicatè admodum veſtitum. Qvem prehenſum alloqvatur.)

Non dimittam te, donec dixeris vir an fœmina ſis.

Ille) Qvid ita?

Diog.) Qvia ſi te natura virum fecit, tu te in fœminam refingis. *(Qvem ſimul ac erubeſcere videbit, dicat)* Salva res eſt, erubuit. Confide fili, hic virtutis color eſt.

Sophiſta.) Ego ratiocinando evincam, te habere cornua.

Diog.) Ego autem tuam ratiocinationem irrationalem eſſe oſtendam.

Soph.) Qvicqvid non amiſiſti habes. Cornua non amiſiſti. Ergò cornua habes.

(Diogenes, manu contrectatâ fronte) Atqvi ego non ſentio. Ergò concluſio tua falſa eſt.

Alius)

Alius) Qvod ego ſum, tu non es. Concedis?

Dio.) Concedo.

Soph.) Atqvi ego ſum homo. Ergò tu non es homo.

Dio.) A me incipe, & verum erit. (*Tum tranſeat pædagogus cum puero indecorè ſe gerente. Diogenes baculo pædagogum feriat*, his verbis:) Siccíne te informare hunc?

(*Adſtet item anus curioſiùs ornata; qvam ille qvaſi demum conſpectam, amotô ei peplô, & rugas conſpicatus, alloqvatur*)

Exoleta fœmina, ſi placere paras vivis, fruſtra: ſi defunctis, qvæſo te ne cuncteris.

(*Populus*, Ha ha he!)

Dio.) Parum dociles eſtis. Ridicula ridiculè excipitis: non item ſeria ſeriò. Abite, & me mihi relinquite. (*Tum tendat ad Dolium. Qvidam autem è turba, Diotimus, dicat.*

Diot.) En tibi pauculos nummos, ne indociles etiam docere pigeat.

Dio. inſpectis nummis:) Unde tam amplum munus rependere poſſim, ego qvidem non habeo: ſed dii tibi Diotime largiantur tantum, qvantum animo tuo cogitas & cupis.

(Et redeat in Dolium)

Actus III. Scena III. Diogenes, Plato: Platonis famulus: aliúsqve diſcipulus.

Dio.) Hora inſtat, qvâ in Academiam ſuam ingreſſurus eſt Pláto, ut doceat. Placet ſimul ingredi, ut qvid argutiarum traditurus ſit hodie, audiam. Heri Hominem ridiculè definivit, eſſe *Animal bipes*. Definitio hæc exagitanda mihi erit. Ecce autem jam appropinqvat! qvantô comitatu? adjungam me.

(Ubi ſe illis aſſociaverit, qværat ex Platonis famulo:) Qvid iſtud eſt qvod fers? *Fam.)*

Fam.) Culcitra.

Diog.) Cui uſui?

Fam.) Inſidebit huic Plato.

Diog.) Oſtende.

(*Receptamqve tanqvam contemplaturus, projiciat in terram, proculcétqve pedibus. Tum famulus clamosè*:) Ecqvid agis?

Diog.) Calco Platonis faſtum.

Plato reſpiciens:) Calcas, ſed majore faſtu: à qvo non ποῦς, ſed νοῦς tibi perſanandus. Perge tamen nunc ad Auditorium noſtrum, noſtrámqve διατριβὴν orna.

Diog.) Modò ne κατατριβὴ ſit.

Pl.) Accidat hoc aliis.

[διατριβὴ, Exercitatio ingeni: κατατριβὴ, attritio ingenii.]

Diog.) Experiri libet, præi, ſeqvor.

Plato (*ubi cum ſuis in Orbem conſtiterit, dicat*) Hominem decet humanitas, maximè Philoſophum.

Diog.) Ignoſce ó Plato: qvid per humanitatem intelligas, ſcire velim.

Plato) Comitatem erga omnes.

Dio.

Diog.) Erras ergò, dum hanc Philoſopho tribuis, ut placendi ſtudiô blandè agat. Philoſophi proprium eſt vitiis mederi: qvod ſine metu & dolore non expeditur. Metu enim probri, & dolore præſentis ignominiæ, à malo abigendi, & in officio continendi ſunt homines. Ad qvod Zelô & rigore, non blanditiis opus eſt. Dic autem mihi, ó Plato, Homo qvid eſt? eum qvomodo definis?

Plato) Tentandine gratiâ id qværis, an feriò?

Diog.) Utrumqve.

Plato) Captator es, non teneor reſpondere.

Diog.) Si dogmata vera tradis, nihil eſt cur ſubterfugias. Veritas nullum tentamen extimeſcit.

Plato) Mihi ſic rectè definiri videtur: *Homo eſt animal bipes.*

Diog. Extracto è ſinu Gallo gallinaceo) Ecce homo Platonicus.

(*N. Auditores in riſum ſolvantur.*)

Plato) Addendum video aliqvid differentiæ. *Dio.*

Diog.) Adde igitur,

Plato) *Homo eſt animal bipes implume,*

Diog.) Parumper expecta, mox talem hominem dabo. (*Incipiatqve Gallum deplumare. Tum Plato*) Aliud differentiam dabit veram.

Diog.) Qvidnam?

Plato) Sic dixerim; *Homo eſt animal bipes, implume, latis ungvibus.*

Diog.) Proh dii immortales, tantas, tamqve inutiles ambages! Ego verò ſtatuo, qvamvis hæc Gallina habeat & latos ungves, ut tu Plato, & manus, & pedes, & oculos, & naſum, & cætera externa omnia tuis ſimilia, nondum fore Hominem, niſi etiam loqvatur & ratiocinetur. In his ergò poſtremis vera differentia qværenda fuit.

Diſcipulus Platonis) Non fruſtra *Diogenes Cynicus* appellatus es, mordes enim ut Canis.

Diog.) Erras ó bone. Canis enim mordet inimicos, ego pro libertate mea amicos, ut ſervem incolumes. Sed enim ſi amica etiam collatio diſplicet, Valete. N.B.

N. B. *Abeant illi theatro: Diogenes verò remaneat, ita ſecum ipſe:*

Qvæ hæc eſt impatientia, erroris admonitionem ferre non poſſe! Philoſophos etiam? Adibo nunc *Zenonis* Scholam, qvam Stoam appellant. Eúm ajunt meras ſubtilitates tradere, ut ſubinde ſtupeant auditores. Qvanqvam præſtaret, meo judiciô, ſubtiliter vivere, qvàm ſubtiliter diſputare. Audiam tamen.

(Prodeat interim Zeno cum diſcipulorum caterva in ſcenam.)

Actus III. Scena IV.
Zeno, Diogenes. Diſcipulus Zenonis.

Zeno) De Motu multa ſubtiliter à Philoſophis diſputantur, *Qvid ſit? Unde ſit? Ad qvid ſit? Qvotuplex ſit? & ſimilia.* Sed erratur, ut video, in ipſo limine, qvòd non præmittitur omni diſqviſitioni præmittenda qvæ-

ſtio, *An ſit?* qvam utut aliqvis putare poſſit hôc locô inutilem, ego tamen ſolidiſſimis rationibus, qvas nemo retexere poterit, ſat ſcio, evincam, *Motum nullum dari:* tametſi Motu omnia plena videantur. Attendite, qvi argumentorum ſubtilitate delectamini: duo in præſens ſolùm afferam, qvanqvam mihi plura ſint, qvibus efficere ſpero, ut omnes clarè agnoſcatis, & ultrò fateamini, *Motum revera nullum rebus ineſſe.*

Primum enim, ſi demonſtravero, Motum celerrimum (qvi cogitari poteſt) cum immota qviete idem eſſe, apparebit utiqve motum & qvietem idem eſſe, id eſt Omnia qvieſcere, nihil moveri. *Deinde*, oſtendam duas qvaſpiam res à ſe paululum diſtantes, nunqvam coire poſſe: qvod fieri tamen poſſet, ſi eſſet motus.

Primum demonſtro exemplô Rotæ pendentis & ſe gyrantis: cujus circumferentiæ pars qvæqve jam ſummo loco eſt, jam imo. Et dum ſic partes circu-

cu-

cumeunt, anteqvam pars eadem eundem in locum redit, intercedit aliqvod temporis ſpatium. Hoc utiqve omnes intelligitis: ſicut & hoc, qvòd qvô celerior ſit motus, eô minus temporis ſpatium revolutioni reqviratur. Cogitate jam ergò motum celerrimum, qvô non detur celerior: nempe ut ad converſionem rotæ nullô intercedente tempore, ne momentô qvidem, opus ſit: hic utiqve erit motus celerrimus. Atqve hoc idem fit dum Rota ſtat: ergò celerrimus ille motus rotæ, idem eſt cum qviete Rotæ. Et, ſi celerrimus motus à qviete non differt, multò minus tardior differet.

Alterum argumentum, *verè Achilleum*, hoc eſt: qvod *ſi ullus foret Motus, fieret ut id qvod perniciſſimum eſſet, rem aliam vel tardiſſimam aſſeqvi nunqvam poſſet. Hoc autem ridiculum eſt. Ergò & ridiculum, motum eſſe.* Majorem ſic oſtendo. Sit res pedibus celerrima, ex. gr. Achilles, perſeqvuturus rem aliam tardiorem, ex. gr. Teſtudinem, qvæ

moveatur decuplô lentius. Diſtent illa ab invicem uno ſtadio: qvod anteqvam Achilles decurrat, teſtudo alterius ſtadii decimam partem conficiet. Ad qvam portionem priuſqvam Achilles pertingat, teſtudo iterum decimam partem hujus ipſius ſpacii profugerit: & ſic in infinitum, qvippe ad minima rerum nunqvam venitur.

(*Hîc Diogenes obambulare incipiat per medium Auditorum: qvem Zeno primùm torvùm reſpectans, poſt qvaſi tolerare non valens, alloqvatur.*)

Zeno) Heus tu, qvid agis?

Diog.) Confuto rationes tuas.

Zeno) At nihil audimus.

Diog.) Sed videtis.

Zenonis diſc.) Magiſter non negat motum videri, ſed eſſe.

Diog.) Tu ergò motum manûs meæ palpa, aut ſi mavis guſta.

(*Hîc ei pugnô buccam ſtringat. Diſcipulus verò amotô capite:*)

Qvid agis? *Diog.*) Confuto argumenta Magiſtri. (*Hîc*

(*Hîc ei alter ille viciſſim plagam intentet. Diogenes verò prætenſâ manu:*)

Cave refutes ipſe Magiſtrum. Si te moveris, præceptorem confundes.

(*Hîc Auditores in riſum ſolventur: Diogenes autem hôc viſô, dicet:*)

Ecce mihi adſtipulantur omnes, non tibi! Riſu enim & cachinnis qvatiunt capita. Vos autem, Magiſter cum diſcipulis, ſi Vos ex hac Stoa moveritis, argumenta veſtra concident.

Zeno) Subtilitati ſubtilitate reſpondendum fuit.

Diog.) Vanitas veritate convellenda fuit.

Zeno) Abeo, Vale Sophiſta.

Diog.) Abis? & victoriam mihi relinqvis? Omnes vos qvi adeſtis teſtes invoco, Motum & videri, & eſſe. Zenonem enim abire vidiſtis, locumqve vacuum videtis: qvæ mutatio motu facta eſt. (*Redeat in dolium*)

Actus III. Scena V. Perdiccas, Regis Alexandri præfectus, Diogenes.

Perdiccas) Philoſophe, Rex magnus Alexander jubet ut ad ſe venias.

Diogenes è Dolio) Non utor Regum conſvetudine.

Perd.) Non tam incivilis eris, qvi tanti Regis favorem ſpernas.

Dio.) Regiô favore opus eſt Regno, non Philoſopho, qvi ſui juris eſt.

Perd.) Cave offendas Regem.

Dio.) Cave irrites canem.

Perd.) Non Canem volo, Philoſophum.

Diog.) Philoſophus ille, qvem reqviris, canis eſt irritantibus.

Perd.) Occîdam te.

Dio.) Nihil magni feceris: & ſcarabeus, & araneus, poſſunt idem.

Perd.)

Perd.) Qvæſo te Diogenes mitte jocos, & te itineri para.

Dio.) Non paro.

Perd.) Non mihi fidem habes? Alexandro è militiæ præfectis ſum, Perdiccas nomine, famâ utiqve tibi notus.

Dio.) Diogenes iſta curat ſcilicet, per qvos ſe inqvietet Mundus.

Perd.) Surge, comitem te mihi volo.

Dio.) Non ſurgo.

Perd.) Cum iſto dolio te auferri jubebo.

Dio.) Non jubebis.

Perd.) Rex Alexander te ſibi hoſpitem cupit.

Dio.) Non habebit.

Perd.) Qvid ita?

Dio.) Aulæ ludibrium non erit Diogenes.

(*Perdiccas ad ſuos converſus.*) Cum ſaxo nobis res eſt. Qvid facimus? Abeamus

Actus III. Scena VI.
Alexander Rex, Parmenio, Perdiccas, Craterus, Diogenes.

Alex.) Eqvidem ita eſſe ut ominaris, Parmenio, non dubito: eſſe, & fore homines, qvi me tot populorum victorem beatum prædicent, & prædicaturi ſint. Ego tamen aliud qvidam habeo, unde non minus felicitatem meam metior.

Parm.) Nempe qvòd aliæ qvoqve arma Tua non expertæ gentes, ſe tibi ſubmittant, ſuumqve & orbis dominum ſalutent?

Alex.) Imò aliud.

Parm.) Qvidnam? dignare eloqvi.

Alex.) Qvod Ariſtotelis tempore naſci, eôqve Præceptore uti, contigit.

Parm.) Tantíne id facis?

Alex.) Tanti profectò, ut dubitem,

tem, patríne Philippo, an Ariſtoteli præceptori, plus debeam? qvippe ab illo vivendi, ab hoc benè vivendi initium accepi.

Parm.) Hoc idem præſtitiſſet alius.

Alex.) Etiam alius initium vivendi dediſſet.

Parm.) Non æqvè illuſtre, ut victorioſus Rex Philippus.

Alex.) Nec alius æqvè dextrè inſtillaſſet ſapientiam, ut ingenioſiſſimus Ariſtoteles. Inter qvem & me rerum imperium partiri voluiſſe deos, video: ideóqve hunc ſolum inter mortales cunctos aut ut parem colo, aut ut ſuperiorem ſuſpicio.

Parm.) Qvid loqveris Rex? Itáne ſplendida, & cœlum attingentia gloriæ tuæ faſtigia, ad unius umbratici hominis obſcuram fortunam demittis?

Alex.) Tibi nempe oculi deſunt, qvibus inter meum & Ariſtotelis ſplendorem dignoſcas. Me Regnorum, illum Ingeniorum, victorem conſtituêre ſuperi. Mihi ſe armis ferreis ſubacti,

aut metu perterriti, ſubmittunt Populi: illi omnes humanæ Mentis acies cedunt.

Parm.) Jocari te crederem, Rex, niſi omnia tua ſeria eſſe ſcirem.

Alex.) Ipſe tuus ſermo prodit, Parmenio, te animi, corporis, fortunæqve bona æſtimare, rebusqve pretia ſua reddere, neſcire. Scito igitur me pluris facere unam ſapientiam, qvàm omnes victorias meas, eóqve fine Athenas nunc proficiſci, ut Diogenem Philoſophum videam & alloqvar: ex qvo congreſſu Sapientiæ aliqvam acceſſionem ſpero, qvâ magis delectabor, qvàm ſi novum Regnum accedat.

Parm.) Relinqvendæ ſunt tibi, Rex, deliciæ tuæ, ut video. Sed annon accerſi poterat homo ille? Ejúsne gratiâ te tantum Regem profectionem hanc capeſſere?

Alex.) Accerſi juſſeram, ſed Perdiccas non rectè rem expedivit.

Perdiccas) Qvid facias homini moroſo, qvi nec minis nec promiſſis flecti potuit? *Parm.*

Parm.) Et huic tu Rex honorem illum defers? ut qvod officium ille mendicus negavit Tibi Regi, tu illud Rex mendico exhibeas?

Alex.) Scias velim Parmenio, dignos eſſe Viros ſapientes, ad qvos ſe Reges demittant.

Parm.) At iſtum Diogenem ſemidelirum eſſe ajunt.

Alex.) Id verò jam experiemur. Adeamus rectâ ejus habitationem, in Porticu Jovis.

Parm.) Eccum tibi, dolii ſoricem! in nos proſpectavit, rurſumqve ſe recondidit.

Alex. ad dolium conſiſtens:) Salve vir bone. *Dio.*) Salve qvoqve, ſi ſalute dignus es, qvisqvis es.

Alex.) Non ad me prodis?

Dio.) Non vacat.

Alex.) Non etiam proſpicis?

Dio.) Eſt qvod agam. Tu ſi pompæ tuæ ſpectatores qværis, alibi qvære.

Alex.) Nónne metuis me?

Dio.) Bonúmne es an malum?

Alex.) Bonum.

Dio.

Dio.) Qvis ergò bonum metuat?

Alex.) Ego ſum Alexander ille magnus.

Dio.) Ego Diogenes ille Canis.

Alex.) Cur dictus es Canis?

Dio.) Qvoniam dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.

Alex.) Cur ergò mihi qvoqve non blandiris, ut aliqvid accipias?

Dio.) Qvia nullâ Tuâ re egeo.

Alex.) Pete tamen à me aliqvid.

Dio.) Peto, ut mihi ne auferas qvod dare non potes, lumen Solis. Abſcede, ne obumbra.

Alex.) Si Canis es, honorarium tibi à menſa mea mittetur, Oſſiũ reliqviæ.

Dio.) Erit donum Diogene dignum, ſed non Alexandrô.

Alex.) Audin' Parmenio?

Parm.) Ha ha he!

Alex. extenſâ ſuper dolium manu:) ó vas ſapientiæ plenum!

Dio.) Regum maxime, qvem fortunatiſſimum omnes prædicant, ſi vas

hoc

hoc ſapientiæ tibi placet, da mihi fortunæ guttam, ut dolium hoc illæſum mihi permaneat.

Alexander ad ſuos converſus dicat:) Vos me divitem creditis: hic tamen homo paupertatis me convincit, qvi ut qvod illi dem non habeam, efficit.

Craterus) Concede ad me Diogenes, ſi ad Regem non placet, habebo te liberaliter, omnia mea mecum tibi erunt communia.

Dio.) Nihil rebus tuis egeo.

Crat.) Uteris qvantum voles.

Dio.) Id jam nunc facio, omnibus utor non utendo.

Crat.) Saltem apud me cænabis.

Dio.) Salem domi lingere malo, qvàm apud te adipatâ frui menſâ.

Crat.) Qvid ita?

Dio.) Libertatē tantilli non vendo.

Crat.) Ariſtoteles tamen cum Rege ſplendidè vivit.

Dio.) Ariſtoteles prandet cùm vult Alexander; Diogenes, cùm vult Dio-(genes.

Parm.) Ha ha he.

Crat.

Crat.) Ha ha he.

Alex.) Ecce omnes te rident!

Dio.) Sed ego non rideor.

Alex. ad ſuos converſus) Vincimur ſapientibus reſponſis. Per Jovem dico, niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem.

(*Hôc dicto abeat theatro.*)

Diogenes) Ecce ecce! ſic ſunt optimi etiam. Animus philoſophicus, bona fortunæ contemnens, placet eis, imitatio non item.

[*Muſica.*]

Actus IV. Scena I. Amphilogus & Elpidius.

Amph.) Qvàm verè dictum eſt, Nemo omnibus horis ſapit.

Elp.) Verè utiqve: ſed tibi unde illud in mentem venit modò?

Amph.) Diogenes noſter ut cætera rectè, ita hoc parum aptè, qvòd homines

mines, qvales qvidem ſunt, ferre non potuit. Athenienſium pertæſus tolerare mores, ſolum vertere decrevit, ſperans ſe aliô cœlô alios reperturum homines. Sed incidit in Scyllam cupiens vitare Charibdin.

Elp.) Qvid illo factum eſt, cedò.

Amph.) Cùm navi conſcenſâ trajicere hinc vellet in Æginam, à piratis captum eſſe referunt oculati teſtes.

Elp.) Rem ſeriam narras?

Amph.) Nimis ſeriam. Hem Diogenes, impatientia tua te ad hunc ſcopulum adegit. Habebis jam ubi patientiam exerceas, latronum convictu: qvorum immanitas, credo, efficiet, ut pedem Athenis nunqvam moviſſe optes.

Elp.) Infortunatus qvidem caſus. Sed qvid te ſic vicem ejus miſerari opus eſt? neſcis enim, an æqvè illi captivitas ſua, ut tibi tua illa captivitatis imaginatio, intolerabilis futura ſit.

Amph.) Non ſaxum eſſe poterit.

Elp.) Sed eſſe poterit id qvod eſt,

Phi-

Philoſophus, fortunam omnem deſpiciens, & ad omnia indifferenter ſe habens.

Amph.) Iſtud qvidem dictu facilius eſt qvàm præſtitu.

Elp.) Tibi nempe, & mihi, & alicui ſimiliter molliculo. An verò heroa illum ex nobis metiemur? Neſcis eum edomandis affectuum portentis natum?

Amph.) Vexationes qvas antehac à populo, aut æmulis Philoſophis, pertulit, luſus fuerunt præ hac miſeria.

Elp.) Auſim ſponſionem facere, illum fore ſui ſimilem, animô infractô: nósqve brevi audituros dicta & facta ejus, qvæ inter exempla erunt.

Amph.) Tu ſemper Elpidius es, ſpei plenus.

Elp.) Videbis.

Actus

Actus IV. Scena II.
Scirpalus, piratarum dux: Harpax & Pſiletes, piratæ: Diogenes.

Scirp.) Educite captivos navi. Eâ gratiâ ad inſulam hanc appuli, ut hîc venundentur.

Harp.) Effectum dabitur. (*Exeatqve eos adducturus.*)

Scirp.) Satis proſpera fuit hâc vice venatio: nónne?

Pſiletes) Sanè, naves aliqvot præda noſtra factæ ſunt.

Scirp.) Ex captivis divenditis etiam bonum ſpero lucrum.

Harpax.) Ite ocyus. (*Trudatqve ante ſe captivos vinctos, triſtes. Inter qvos Diogenes: qvi circumſpectans, dicat*)

Dio.) In qvem orbem jam delati ſumus! Euge ó fortuna, qvàm viriliter præes mihi! Vos autem (*ad piratas con-*

converſus) crudeles, qvid nos fame enecatis? Noſtrum commeatum diripuiſtis, nobis autem toto jam triduo nihil alimenti præbetis. Iniqviſſimum eſt, cùm porcelli agniqve venales diligentiùs ſaginentur, hominem præſtantiſſimum animal inediâ macerari, qvaſi verò hoc pacto non reddatur vilior.

Scirp.) Rectè loqvitur. Harpax, provideto illis prandium: ſed & nobis.

Harp.) Fiet, ſed iſti oratori pugnos ingerere mallem.

(*Abeatqve. Diogenes verò ad captivos triſtes converſus ſolatiis eos erigat.*)

Dio.) Bonô animo eſtote amici. Malis in rebus nihil melius eſt animô bonô. Ferendum eſt, non culpandum, qvod mutari non poteſt. Ego verò mihi jam de Philoſophia mea gratulor, qvæ me caſus omnes deſpicere docuit.

(*Harpax, denuò ingreſſus*) Introite, prandium ſumpturi.

Actu

Actus IV. Scena III. *Harpax, Præco, Diogenes, Xeniades.*

Harp.) Seqvimini me Vos captivi. (*qvos cùm ordine collocârit, ut in foro ſtantes, dicat:*)

Tu autem præco, proclama, omnes hos eſſe venales.

Præco) Heus Cretenſes, ſi cui veſtrûm opus eſt ſervô, aut ſervâ, ad qvascunqve operas, accedite, hîc bonô pretio venales invenietis.

(*Veniat emptor, unus & alter, perqve ſilentium captivos ſtantes circumſpiciant. Diogenes verò ſedens dicat:*)

Dio.) Vas fictile, Ollam vel operculum, nemo emit niſi pulſu & tinnitu explorârit, ſitne integrum, probæ argillæ, ac benè coctum. Iſti autem in emendis hominibus, ſolô aſpectu utuntur. Qvin provocatis ſermonem, ut

ut homo ſit an belua, qvod emitis, pateat?

(*Ad eum itaqve converſus Emptor anonymus, dicat:*)

Anon.) Surge ergò tu, ut de corporis ſtatura rectiùs judicare valeam.

Dio.) Si piſcem emeres, etiam erectum eſſe juberes?

Præco.) Qvô igitur titulô tu commendari vis emptoribus?

Dio.) Dic te hominem vendere, qvi ſciat imperare Viris.

Præco.) Qvomodo?

Dio.) Dic, ſi qvis ſibi vult emere Dominum, hunc (*pectori ſuo admotâ manu*) ut emat.

Præco)Ha ha he.Qvid hominis es tu?

Dio.) Philoſophus ſum, hominibus præeſſe ſcio.

(*Vidensqve prætereuntem qvendam benè cultum dicat:*)

Huic me vende:nã is eget Domino.

Præco) Heus tu,Domine, víſne tibi emere dominum?

Xeniades) Qvid iſtuc verbi eſt?

Præco)

Præco) Hominem habemus venalem, qvi hominibus imperare ſcit: & qvidem non ſervis, ſed liberis.

Xen.) Ego domûs meæ dominus ſum, famulos volo ſervos, non dominos.

Dio.) Non autem malles liberos liberaliter tibi ſervire, qvàm ſerviliter ſervos?

Xen.) Inter Dominum & ſervum diſcrimen ſervari oportet.

Dio.) Inter ſervum & malum Dominum nihil præter vocabula intereſt. Mancipium ſervit domino, dominus verò cupiditatibus. Miſeriorem igitur ſervitutem hic ſervit, cùm ſervit dominis & pluribus, & turpibus, & inclementibus.

Xen.) Video te virum eſſe ſapientẽ: liberandus es mihi ſervili hoc ſtatu.

Dio.) Eme, non pænitebit.

Xen.) Qvanti hunc æſtimatis?

Harpax ridens) Triobolaris ille eſt ſervus.

Xen.) Ergò ſi tres obulos dedero, meus erit?

Harp.)

Harp.) Eſto, tua ſit ſarcina illa, non noſtra, inutilis nobis, jamqve gravis.

Xen.) En habe.

Harp. manu tradens Diogenem) En qvoqve tibi habe.

Xen. ad Diogenem) Meus eris.

Dio.) Ero: ſed ut juſſis meis pareas.

Xen.) ἄνω ποταμῶν? præpoſterè agetur, ſi ſervus imperet hero.

Dio.) Si Medicum emiſſes æger, non illi medicinam præſcribenti obtemperes?

Xen.) Fortaſſe.

Dio.) Ergò qvia emiſti Philoſophum, qvi morbis animi mederi poterit, obtemperandum huic erit: eô magis qvô Animus Corpori præſtat, morbíqve illius qvàm hujus graviores ſunt.

Xen.) Benè inter nos conveniet, ſpero. Seqvere me jam.

Dio.) Qvô me duces?

Xen.) Domum.

Dio.) Ubi eſt domus tua?

Xen.

Xen.) Corinthi.

Dio.) Iſtuc ergò navigabimus?

Xen.) Primô qvovis ventô.

Dio.) Et rurſum in piratas incidemus, ut tu mecum fias mancipium?

Xen.) Dii avertent. Sed & ſi veniant, habeo unde me & te redimam.

Dio.) Id ſolatii tibi habe. Me caſus & fortuna qvôcunq; egerint, perinde eſt,

Actus IV. Scena IV.

Xeniades, Clitarchus vicinus ejus.

Xen.) Cui dii benè volunt, virum ei aliqvem ſapientem ſubmittunt, cujus conſiliis rectus proſperè agat. Et mihi propitium eſſe numen ſatis ex eo certus ſum, qvòd Diogenem mihi cohabitatorem perpetuum eſſe voluerunt: ſub qvo omnia mea meliùs habent ac unqvam.

Clit.) Salve Xeniades. Qvid tu hîc tecum ſolus murmurabas?

Xen.

Xen.) Diis agebam gratias, qvi me tantâ felicitate dignati ſunt.

Clit.) Qvânam?

Xen.) Neſcis qvem domi meæ hoſpitem habeam?

Clit.) Audio Philoſophum qvendam te pro ſervo alere.

Xen.) Pro ſervo emi, jam amico utor. Dignus enim vel Regum amicitiâ eſt, nedum meâ.

Clit.) Nimia loqveris.

Xen.) Qvid nimia? Rex magnus Alexander, & ante illum Philippus, aliique viri principes, tanti hunc fecerunt, ut ei amicitiam convictúmqve offerrent: ſed ille animi qvâdam celſitudine iſta ſprevit. Ego verò hunc tantum virum bonâ qvadam fortunâ jam poſſideo.

Clit.) Eja verò, poſſides?

Xen.) Poſſideo: non tam emptionis jure, qvàm bonâ ejus voluntate ac in me favore. Decrevit enim apud me & meos reliqvum vitæ exigere.

Clit.) Unde ſcis?

Xen.)

Xen.) Amici ejus nuper de redimendo ipſo agere cæperunt: qvos ille inſanire dixit, lepidôqve cum reſponſo dimiſit.

Clit.) Qvali illo?

Xen.) Dixit ſe non ſervire, ſed dominari. Neqve enim Leones ſervos eſſe nutrientium, ſed econverſo illos ſervire leonibus.

Clit.) Facetè. Cedò autem, qvæ veſtra eſt convivendi ratio?

Xen.) Conſiliis me & familiam totam regit. Inprimis autem filios ei commiſi erudiendos, qvos ille ſuſceptos liberaliter inſtituit.

Clit.) Qvem erudiendo eos obſervet modum, audire pervelim.

Xen.) Audire licet. Primùm eis *Artes liberales* tradidit. Mox docuit eqvitare, arcum tendere, fundam rotare, jaculari telum. In palæſtra non permittit, ut pædotribæ eos gravioribus laboribus, athletarum in morem, exerceat: ſed tantùm qvantum ad ruborem & bonam valetudinem condu-

cit. Curat etiam, ut ex *Poëtis* aliíſqve Scriptoribus bonis, optima qvæqve addiſcant: dictitans, *Ea ſola nos ſcire, qvæ memoriâ tenemus*. Breviter: *Totius Philoſophiæ ſummam eis redegit in compendium, qvô & citiùs percipiant, & fideliùs memoriâ complectantur*. Domi autem inſtituit eos miniſtrare nobis parentibus, cibôqve levi & vili, & aqvæ potu, contentos eſſe. Cúmqve cæteri adoleſcentes cæſariem, ut noſti, ad formæ commendationem alant, ille meos jubet radere comam: & ſi qvando prodeundum eſt in publicum, incomptos producit, absqve tunicis, incalceatos, & tacitos. Qvin & ad venatum illos inſtituit: Lacedæmonios in his omnibus imitatus. His rebus effecit, ut à pueris & ametur & obſervetur, perqve illos nobis parentibus commendetur.

Clit.) Agnoſco domûs tuæ felicitatem.

Xen.) Et qvidem mihi beneficia cùm præſtet tanta, nihil mercedis repoſcit,

poſcit, pauxillô cibo, veſtitúqve vili contentus eſt.

Clit.) Frugalitatem ergò verè Philoſophicam retinet.

Xen.) Omninò.

Clit.) Haud perinde facit Dionyſius ille, olim Siciliæ Rex, nunc ob tyrannidem regno pulſus, & apud nos hîc pædotriba factus: qvi tametſi ad infima detruſus, ut pueros docendo victũ qværere neceſſe habeat, deliciis tamen qvibus adſvevit, vix ægrè abſtinet.

Xen.) Hæc conſvetudinis vis eſt.

Clit.) Colúntne inter invicem amicitiam, Diogenes cum Dionyſio?

Xen.) Nondum: cogitat tamen Diogenes meus illum inviſere, num Scholam meliùs qvàm Regnum regat viſurus.

Clit. Non malè fieret, ſi eum malè olim geſtæ rei commonefaceret.

Xen.) Non intermittet eum ſale aſpergere, certus ſum. Sed ego domum propero. Vale.

Clit.) Vale.

Actus IV. Scena V.
Diogenes, Dionyſius, Pueri ejus.

Dio.) Qvi fortunam reverenter habere neſciunt, hos illa qvàm facilè dejiciat, Dionyſius hic exemplò nobis eſt. Florentiſſimum ille habuit Regnum: ſed cùm potentiâ uti neſciret moderatè, mallétqve metui qvàm amari, exoſus ſuis factus Regnô ejectus, deſperationéqve eô redactus eſt, ut vitæ tolerandæ gratià hac in urbe Scholam, exul, aperuerit, puerósqve literas doceat. Viſam ad eum, qvomodo ſe gerat.

(Ingrediatur Scholam, Dionyſio abſente, reperiátqve pueros qviddam obſcurum cantillantes, & ad ejus ingreſſum obticentes)

Salvete filioli. Solíne eſtis? *(Qvi neqve reſpondeant, neqve aſſurgant.)* Magiſter ubi eſt?

Pueri

Pueri) Exivit.

Dio.) Et vos ſolos reliqvit?

Pueri.) Qvid tum?

Dio. Diligentérne literis navatis operam?

Pueri) Qvid tua refert?

Dio.) Hem, tam malè morati eſtis? Noſtísne legere?

Puer.) Diſcimus.

Dio.) Et canere?

Pueri) Diſcimus.

Dio.) Audivi vos canere, ſed inconditè.

(*Hîc ingrediatur Dionyſius, ſperansqve Diogenem conſolandi gratiâ veniſſe, dicat, oblatâ dextrâ.*)

Dionis.) Humaniter facis Diogenes: hæc eſt rerum humanarum volubilitas.

Dio.) Imò miror te etiamnum vivere, qvi tantum malorum in Regno tuo patrâris. Et video nihilo meliorem te eſſe Ludimagiſtrum, qvàm fuiſti Rex.

Dion.) Ne tam aſperè loqvaris. Ego

Philoſophis ſemper amicus fui. Neſcis enim Platonem, Ariſtippum, alióſqve, ex ipſa Græcia à me fuiſſe excitos, & honorificè habitos?

Dio.) Scio. Et ſcio te Philoſophicis conſiliis non obtemperaſſe: ideóqve nunc contemptæ Philoſophiæ dare pænas.

Dion.) Errata vitæ agnoſco. Philoſophiæ tamen contemptor nunqvam fui, eam potiùs ſemper colui. Ex qva & hoc lucri habeo, qvod fortunæ mutationem æquabili mente ferre ſcio.

Dio.) Iſtuc qvidem non malè: ſed ſi Philoſophiæ integrè obtemperaſſes, huc ventum non fuiſſet. Jam ergò ſaltem planè Philoſophicè, hoc eſt piè, juſtè, temperanter, vive, & Spartam qvam nactus es orna: gregem nempe hunc tuum meliùs cura. Vale.

Dionyſ. Abis jam? Gratiam habeo, qvòd me inviſeris.

Abite vos qvoqve jam pueri: feriæ vobis dantur. (*Poſtqvam exiverint, dicat ambulans.*) Qvercu cadente qvilibet ligna

ligna colligit. Non ſic impunè inſultaſſet mihi Cynicus iſte olim. Sed ferendum eſt fortunæ ludibrium. Interim tamen vera loqvitur, & recta monet Diogenes: iraſci illi æqvum non eſt.

Actus IV. Scena VI.
Diogenes æger (in lectulo aut ſedili poſitus, cum Libro tamen:) Xeniades cum filiis & amicis. Medicus.

Xeniad.) Qvieſce jam tandem à laboribus mi ſenex.

Dio.) Qvid? putásne ſi in ſtadio currerem, oportere jam metæ vicinum curſum remittere, an intendere magis?

Xen.) Fatalis tuus dies non longè abeſſe videtur.

Dio.) Hunc expecto.

Xen.) Indica nobis, ſi placet, qvomodo ſepeliri voles?

Dio.) Sepeliri? id curare qvid intereſt? Projicite me inhumatum.

Dio.) Volucribúsne & feris?

Dio.) Si id metuitis, ponitote propè me baculum, qvô abigam.

Xen.) Qvî poteris? non enim ſenties.

Dio.) Qvid ergò mihi ferarum laniatus oberit, nihil ſentienti?

Xen.) Ergò tamen laniari non exhorreſcis.

Dio.) Si Canes cadaver meum lacerabunt, *Hircana* erit *ſepultura*: ſi vultures, *Ibera*. At ſi nullum accedet animal, ipſum tempus pulcherrimam mihi ſepulturam dabit, corpore pretioſiſſimis rebus, ſole, rore, imbribus, abſumpto.

Xen.) Nos te inhumatum non relinqvemus. Dic ergò qvomodo ſepeliri vis?

Dio.) In faciem, dum ita vultis.

Xen.

Xen.) Cur autem ita? cùm cæteri ſepelianter ſupini?

Dio.) Qvoniam paulò poſt inferiora fient ſuperiora.

(*Tum incipiat conqviniſcere, ac dormitare. Medicus autem accedens pertentet pulſum, & frontem. Experrectúmqve roget.*)

Medicus) Qvomodo habes Diogenes?

Dio.) Rectè: jam enim frater amplexatur ſororem, ſomnus mortem.

Medicus (*averſus*) Lethalis ſomnus eſt, extremus appropinqvat terminus: Inferte eum in conclave interius, ut placidè exſpiret.

Epilogus.

Diogenem ampliùs non eſtis viſuri, Spectatores. Obiit ſuum diẽ, ſepultúsqve eſt honeſtè Corinthi, juxta portam qvæ in Iſthmum fert. ſuper tumulum erecta eſt columna ex lapide Pario, eíqve deſuper inſculptus Canis. Hono-

râru nt eum & ſui cives, Synopei, ſtatuis æneis erectis, tali cum epigrammate.

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπο χρόνου, ἀλλὰ σὸν ὄυτι
κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν Διόγενες καθελεῖ.
Μοῦνος ἐπεὶ βιοτᾶς αὐτάρκεα δόξαν ἔδειξας
θνητοῖς, καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάταν·

Qvod latinè ſic ſonat:

Æra qvidem abſumit tempus, ſed tempore nunqvam
Interitura tua eſt gloria Diogenes.
Qvandoqvidem ad vitam miſeris mortalibus æqvam
Monſtrata eſt facilis te duce & ampla via.

Sic hæc illi, Ethnici ethnicè. Nos autem meliori afflati ſidere alium novimus, qvi nobis ad meliora Dux, Via, Veritas & Vita, eſt: qvem non ignoratis, beati futuri ſi & ſeqvamini. Valete, & plaudite, nobíſqve & ſtudiis ſcholaſticis favete.

(*Chorus claudat.*)

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

107

Digitized by Google

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA
1971